CRATINUS
ET
EUPOLIS.

DISSERTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB ILLUSTRI PHILOSOPHORUM UNIVERSITATIS RHENANAE ORDINE MERENDOS

SCRIPSIT

CAROLUS GUILELMUS LUCAS
CONFLUENTINUS
REGII SEMINARII PHILOL. SOCIUS.

BONNAE AD RHENUM
APUD ED. WEBERUM
LUGDUNI BATAVORUM APUD S. ET I. LUCHTMANS.

MDCCCXXVI
TYPIS P. NEUSSERI, BONNENSIS.

VIRIS

DOCTISSIMIS ET CLARISSIMIS

CAR. FR. HEINRICHIO

AUG. FERD. NAEKIO

PROFESSORIBUS IN ACAD. ALMA BORUSS. RHEN.
PP. OO.

SEMINARII REGII PHILOLOGICI

MODERATORIBUS

PIE COLENDIS

HANC QUALEMCUNQUE COMMENTATIONEM

TANQUAM PIGNUS GRATISSIMI

ET RELIGIOSI ANIMI

SACRAM ESSE IUBET

AUCTOR.

ComoedIam antiquam Graecorum maxime insignem esse et mirabilem, sive originem eius ex sacris Bacchi antiquissimis ductam et profectam respiciamus, sive consideremus, quod omnia poesis universae genera ambitu suo complectatur, vetus est opinio multis exemplis et virorum doctorum firmata consensu. Continet enim cum iocorum deterrimae plebeculae obscoenitatem, tum lyrici spiritus audaciam imaginumque sublimitatem ipsa Aeschyli arte tragica dignam; e conviciis, quibus potentiores flagellat et ex argumentis quae fidem historicam plerumque habent, rei publicae statum, popularis regiminis effrenatam licentiam, civium perditissimorum mores corruptos cognoscimus, ita ut Plato, subtilis ille mentis humanae perscrutator, Dionysio secundo, Syracusanorum tyranno, ad diiudicandos Atheniensium mores, animumque cognoscendum veterem comoediam admodum commendasse perhibeatur. Eandem denique comoediam oratoribus futuris Quintilianus X. 1, 65. laudat his verbis: *Antiqua comoedia quum sinceram illam sermonis Attici gratiam prope sola retinet, tum facundissimae libertatis, etsi insectandis vitiis praecipua, plurium tamen virium etiam in ceteris partibus habet. Nam et grandis et elegans et venusta et nescio an illa — aut similior sit oratoribus aut ad oratores faciendos aptior.*

Ingens erat apud Graecos numerus eorum, qui poesi comicae excolendae operam impenderunt. Exstabant enim, si grammatici anonymi testimonio in praefatione ad comoediarum Aristophanis editionem Kusteri apposito

CRATINUS
ET
EUPOLIS.

DISSERTATIO

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES AB
ILLUSTRI PHILOSOPHORUM UNIVERSITATIS
RHENANAE ORDINE MERENDOS

SCRIPSIT

CAROLUS GUILELMUS LUCAS
CONFLUENTINUS
REGII SEMINARII PHILOL. SOCIUS.

BONNAE AD RHENUM
APUD ED. WEBERUM
LUGDUNI BATAVORUM APUD S. ET I. LUCHTMANS.

MDCCCXXVI
TYPIS P. NEUSSERI, BONNENSIS.

VIRIS

DOCTISSIMIS ET CLARISSIMIS

CAR. FR. HEINRICHIO

AUG. FERD. NAEKIO

PROFESSORIBUS IN ACAD. ALMA BORUSS. RHEN. PP. OO.

SEMINARII REGII PHILOLOGICI

MODERATORIBUS

PIE COLENDIS

HANC QUALEMCUNQUE COMMENTATIONEM

TANQUAM PIGNUS GRATISSIMI

ET RELIGIOSI ANIMI

SACRAM ESSE IUBET

AUCTOR.

Comoediam antiquam Graecorum maxime insignem esse et mirabilem, sive originem eius ex sacris Bacchi antiquissimis ductam et profectam respiciamus, sive consideremus, quod omnia poesis universae genera ambitu suo complectatur, vetus est opinio multis exemplis et virorum doctorum firmata consensu. Continet enim cum iocorum deterrimae plebeculae obscoenitatem, tum lyrici spiritus audaciam imaginumque sublimitatem ipsa Aeschyli arte tragica dignam; e conviciis, quibus potentiores flagellat et ex argumentis quae fidem historicam plerumque habent, rei publicae statum, popularis regiminis effrenatam licentiam, civium perditissimorum mores corruptos cognoscimus, ita ut Plato, subtilis ille mentis humanae perscrutator, Dionysio secundo, Syracusanorum tyranno, ad diiudicandos Atheniensium mores, animumque cognoscendum veterem comoediam admodum commendasse perhibeatur. Eandem denique comoediam oratoribus futuris Quintilianus X. 1, 65. laudat his verbis: *Antiqua comoedia quum sinceram illam sermonis Attici gratiam prope sola retinet, tum facundissimae libertatis, etsi insectandis vitiis praecipua, plurium tamen virium etiam in ceteris partibus habet. Nam et grandis et elegans et venusta et nescio an illa — aut similior sit oratoribus aut ad oratores faciendos aptior.*

Ingens erat apud Graecos numerus eorum, qui poesi comicae excolendae operam impenderunt. Exstabant enim, si grammatici anonymi testimonio in praefatione ad comoediarum Aristophanis editionem Kusteri apposito

fides tribuenda est, veteris comoediae fabulae (una cum pseudepigraphis) trecentae sexaginta quinque, quarum poetae nobilissimi fuere Epicharmus, Magnes, Crates, uterque Cratinus, Eupolis, Aristophanes, Pherecrates, Plato comicus maior: mediae comoediae fabulae sexcentae septendecim; immo Athenaeus VIII. 336. D. octingentas amplius mediae comoediae fabulas legisse ex iisque excerpta se fecisse testatur; earumque poetae quinquaginta septem, quorum principes Antiphanes Carystius et Alexis Thurius: novae comoediae denique poetae sexaginta quatuor, inque his praestantissimi Menander, Philemon, Diphilus, Philippides, Posidippus et Apollodorus. Attamen, quod maxime dolendum est, perniciosis tempestatibus, funestissimisque procellis, quibus in medio aevo plurimi et praestantissimi classicae antiquitatis thesauri dispersi sunt et distracti, poetae quoque comici fere omnes, praeter Aristophanem, quem nec ipsum integrum nobis fortuna servavit, in mare oblivionis ita iactati sunt, ut singulae tantum tabulae huius calamitosi naufragii passim superstites nobis obviam fiant. In colligendis his dissipatis undique comicorum fragmentis post renata litterarum studia multum operae navarunt viri docti, quorum post Morelli curas laudantur hi maxime libri:

Comicorum Graecorum sententiae i. e. *γνῶμαι*. Latinis versibus ab H. Stephano redditae et annotationibus illustratae. Parisiis. 1569. 12.

Bibliotheca quinquaginta vetustissimorum comicorum, quorum opera non exstant. Gr. et Lat. ed. Iac. Hertelius. Veronae. 1596. 8. Ibid. 1616. 8. Qui liber editione magis vulgata prodiit sub titulo: Vetustissimorum et sapientissimorum comicorum quinquaginta, quorum opera integra non exstant, sententiae, quae supersunt, collectae per Iac. Hertelium. Basileae. (1550.) 8.

Excerpta ex tragoediis et comoediis Graecis emendata et latinis versibus reddita ab Hugone Grotio. Cum notis et indice. Parisiis. 1626. 4.

Fragmentorum collectionem, ex omnibus poetarum Graecorum reliquiis conficiendam, suscipere in animo erat magno Bentleio (cf. Wolfii Analect. T. I. p. 8.). In diiudicandis poetarum comicorum fragmentis, de quibus utique tamen optime est meritus, haud dubie permultum profecisset huius viri praestantissimum ingenium; at, quod vehementer dolemus, praeclaro consilio defuit successus.

Hertelius et Hugo Grotius in colligendis comicorum reliquiis diligentissimi, quamvis in universum multum praestiterunt, tamen, si singulos poetas respicis, paucissima tantum fragmenta invenies. Praeterea fontes, e quibus fragmenta hauserunt, ne verbo quidem commemorant, ita, ut inde compertum habeamus, exstare quasdam sententias comicorum, sed apud quosnam auctores reperiantur, ignoremus. Quae cum ita sint, Cratinum et Eupolim, poetas veteris comoediae maxime insignes, accuratius tractandos elegi, eorumque pretiosissimas reliquias colligendi et in certum, quantum fieri potest, secundum argumenta singularum fabularum ordinem redigendi laborem suscepi, sperans fore, ut, partim in unum collectis et diiudicatis virorum doctorum opinionibus, partim sententiis utriusque poetae ex comparatione fragmentorum depromtis, diligentiusque, quam adhuc factum esse videtur, consideratis, aliquid saltem ad comoediam antiquam melius cognoscendam, tum ad interiorem rationem, quae inter utrumque poetam et Aristophanem, quocum cohaerent arctissimo vinculo coniuncti, intercidit, verius diiudicandam et denique ad vitam utriusque, multa ex parte satis mirabilem, probe intelligendam, conferre possem. Scriptores cuiusvis in-

genium et characterem ex sui ipsius ingenii monumentis cognoscere et tanquam in speculo intueri possumus; cum vero neutrius poetae integrae fabulae ad nostra usque tempora pervenerint, tamen praeter exspectationem mihi contigit mille et trecenta fragmenta et quod excedit Cratini simul et Eupolidis ex Graecis Latinisque scriptoribus collegisse, quae omnia suis locis distributa in vulgus edere hac occasione fieri omnino nequit et propter operis amplitudinem et difficultatem, et quod multi loci, quamquam a viris doctis vario modo tentati, tantam relinquant obscuritatem, ut ego hoc tempore plane desperem, quin lucem illis afferre omnemque dubitationem tollere possim. Nihil est enim, ut Brunckius ait, difficilius, quam fragmenta emendare. Contineat igitur hic libellus ad accuratam editionem fragmentorum Cratini et Eupolidis praefationem, in qua partim ex utriusque poetae fragmentis, partim ex testimoniis veterum de vita, charactere et nobilioribus fabulis eorum enucleatius disputabitur.

I.

DE CRATINO.

Priusquam ad disquisitionem de Cratino ipso transgredior, pauca praemonenda esse videntur de comoediae, quae apud Graecos floruit, primordiis, quibuscum ille poeta tam arcto vinculo coniunctus est, ut primus, relictis rudibus praecedentium ludis, spretaque inculta lascivia et simplicitate, comoediam ad illud floris fastigium extulerit, quale nulli poshac aetati, nullique genti contigisse mihi quidem persuasissimum habeo. Si Graecorum historiam diligenter perlustramus, tempora nobis occurrunt poetarum in arte tragica insignium nominibus clara, cum tamen comicorum vix aut nulla fiat mentio; quod eo magis admirationem nostram movere potest, cum utrumque poesis genus ad unam eandemque originem paene redeat. Causae vero, quibus factum est, ut comoedia et tragoedia diversis temporibus diversa incrementa acceperint, in ipso imperii Atheniensium statu requirendae, ut luculenter docet Platonius *); nam democratia potentiore reddita comoedia effloruit, illa vero ad finem vergente haec simul defloruit et obmutescere coepit. Temporibus Cratini, Eupolidis et Aristophanis cum apud Athenienses summa rerum potestas penes populum esset, qui sicut imperator et dominus civilia tractabat negotia, omnibus ex aequo concessa dicendi libertate, quam Graeci *ἰσηγορίαν* appellant, comoediarum quoque scriptores hanc loquendi et vituperandi, quae-

*) *Περὶ διαφορᾶς τῶν παρ' Ἕλλησι κωμῳδιῶν*, in prolegg. Kusteri ad Aristophanis comoedias p. X.

eunque libuerint, impunitam facultatem iu suum usum sibi vindicare cunctati non sunt. Hinc illud Horatii Satir. I. 4. 1. sqq.

Eupolis atque Cratinus Aristophanesque poetae
Atque alii, quorum comoedia prisca virorum est,
Si quis erat dignus describi, quod malus aut fur,
Quod moechus foret aut sicarius aut alioqui
Famosus, multa cum libertate notabant.

Praecipue vero imperatores, iudices ipsos, qui male ius administrabant, cives avaros aut lascivia diffluentes atque philosophos contumeliis persequebantur; atque populus omnem comicis timorem eximebat, cum libenter eos, qui talibus conviciis proscinderent, audiret.

Comoedia ac tragoedia ex uno eodemque fonte ortae ad Thespidis usque aetatem in unum coniunctae inveniuntur. Hic enim, quamvis tragoediae inventionis laudem communi quadam veterum opinione in se retulerit, cavillatione, iocis atque facetiis salsissimis, comoedia admodum dignis, quibus ne optimis quidem viris pepercit, usum fuisse, multis veterum testimoniis luculenter potest probari (cf. Plutarch. in vita Solon. c. 29); Iul. Pollux iocatorem eum appellat atque hominem facetum; ludi eius *παιδιὰ*, *παίγνια* et *κῶμοι* a Dioscoride dicti. Susarion Megarensis, Thespidis discipulus, e curru disseruisse fertur, eius fabulae autem comoediae appellatae, ita, ut inde Megarenses, Atheniensium vicini, comoediae inventionem sibi vindicasse videantur. Apud Siculos quoque exculta est comoedia et poeta praecipuus vocatur Epicharmus, qui cum Phormide, itidem Syracusano, iustas reperisse fabulas perhibetur. Cum vero Siculorum et Atheniensium diversissima inter se fuisset rei publicae constitutio, comoedia quoque utriusque populi diversam viam ingredi debuit; et egregie confir-

matam invenimus hanc sententiam, quandoquidem in Epicharmi fabulis non impetus fiebant in singulos cives, sed argumenta potins e mythologia depromebantur, ita ut illa comoedia similior videatur satyrico dramati, cuius tamen chorus Satyris constabat, cum Epicharmi comoediae, quod verisimillimum est, choro omnino carerent. Ex catalogo fabularum Epicharmi apud Fabricium et passim ex fragmentis licet omnino intelligere, quae de earum argumento diximus; quomodo autem H. Harlesius (de Epicharmo p. 44.) ex loco Aristotelis Poet. V. 5. Epicharmum in fabulis suis argumenta e mythologia hausisse colligere potuerit, dicens *μύθους ποιεῖν* esse id, quod fabulis ex historia deorum heroumque desumtis uti ad componenda comoediarum argumenta atque fila; quo iure praeterea Cl. Hermannum reprehendere conetur, quod l. c. „*iustas fabulas*“ latine verterit, intelligere equidem omnino non possum. Potest enim de vocabuli *μῦθος* apud Aristotelem significatione eo minus esse controversia, quo id saepius legitur, et quo accuratius ab ipso summo philosopho explicatur. Scilicet Aristoteli est *μῦθος* i. q. nos dicimus: Stoff, *πράξεως μίμησις* (Poet. VI. 8.), *σύνθεσις τῶν πραγμάτων*. Ceterum hoc mythos in comoediam referendi studium Athenas permanavit, ubi Crates, poeta comicus, Epicharmum imitatus, argumenta e mythologia hausta in fabulas traduxit ad easque accuratius accommodavit.

Hic fere status comoediae fuit Athenis circa Olympiadem septuagesimam quintam, tenuis certe et levis momenti. Quemadmodum vero Aeschylus uberrima sermonis copia, lyrici spiritus audacia eximiaque in moribus adumbrandis virtute tragoediam ex mediocri processu ad summum paene fastigium extulit, sic Cratinus sui ingenii praestantia comoediam insignem reddidit et luculentam.

Praeter nostrum poetam alios quoque Graecorum Cratini nomen gessisse, multi veterum loci, quorum illos, quos ego legendo passim reperi, paucis commemorare liceat, probe demonstrant.

I. Cratini iunioris, Atheniensis, veteris comoediae mentio potissimum fit apud Hesychium, Athenaeum et Iul. Pollucem, ubi fabulae eius simul laudantur. Cf. Fabricii biblioth. Gr. T. II. p. 435. ed. Harl.

II. Cratini Atheniensis factum nobile ab Atheniensibus admodum celebratum commemoratum legimus ex Neanthis Cyziceni secundo libro *περὶ τελετῶν*. Formosus enim cum esset adolescens, Epimenide Atticam ob vetusta quaedam piacula lustrante, pro patria ultro se devovit interficiendumque sese obtulit. Athen. XIII. p. 602. C.

III. Cratinus Megarensis, Olympionices (Ol. XXXII.) apud Pindarum. Euseb. Chron. p. 347. ed. Scalig.

IV. Cratinus Aegiraeus, sui temporis iuvenis formosissimus, luctandi arte omnes longe superavit, ut in ludis Olympicis victoriam nactus statuam acciperet. Pausan. VI. 3, 3.

V. Cratinus Spartanus, statuarius. Pausan. VI. 9, 1.

VI. Cratinus pictor, cuius Plinius (Hist. Nat. XXXV, 11.) facit mentionem.

VII. Cratinus grammaticus, cuius laudatur epitome librorum Basilidis de Homerica dictione. Etymol. Magn. *Ἀρίζηλος*. p. 142, 28.

VIII. Cratinus Methymnaeus ὁ *Ψιλοκιθαριστὴς* Alexandro Magno, nuptias celebranti, artis suae specimen edidisse perhibetur. Athen. XII. p. 539. E.

IX. Cratinus quidam nominatur in marmorea tabula apud Gruterum Corp. inscrr. ex rec. Graevii p. 648. 5.

X. Cratinae Magnetis factum memorabile narratur apud Plutarchum de rei publicae gerendae praec. T. IX. p. 226. ed. Reisk.

XI. Cratini filiae, Irenes, Clemens Alexandrinus pictrices recensens, mentionem facit. Strom. IV. c. 19. p. 224. 26.

XII. Idem Clemens in Cohortatione ad gentes Cratinam quandam nominat amicam Praxitelis, quam ille, cum Veneris simulacrum conficeret, quam potuit, simillimam reddidit, p. 16. 15.

XIII. Libanius sophista Cratino cuidam epistolam nonagesimam primam inscripsit.

XIV. Plato in epistola decima tertia Cratinum, Timothei fratrem, commemorat, T. III. p. 362. ed. Steph.

Sed iam mittamus hos Cratinos Cratinasque et ad nostrum Cratinum illis omnibus celebriorem transgrediamur.

Cratinus, Callimedis filius, Atheniensis *), natus circa Olympiadem sexagesimam quintam (Ol. LXV. 1. ab Chr. 519.), mortuus est haud dubie anno secundo Olympiadis octogesimae nonae (a. Chr. 422.); floruit secundum grammaticorum testimonia Olympiade octogesima prima, qua ipse cum Platone comico simul nominatur et coniungitur **), vixit igitur florente summa Atheniensium potestate, aequalis celeberrimis totius Graeciae poetis, Aeschylo, Sophocli, Euripidi, Pindaro, Simonidi, Aristophani, aliis.

*) Suid. v. Κρατῖνος. Eudocia in Villoison. Anecd. G. p. 271.

**) Euseb. Chron. p. 131. ed. Scalig.

Lucianus in Longaevis c. 25. T. III. p. 227. ed. Amstelod. tradit, Cratinum vixisse nonaginta septem annos, et distincte addit, sub vitae finem eum docuisse Pytinen, ex qua victoriam retulisse et paulo post diem obisse supremum. *Κρατῖνος δὲ ὁ τῆς κωμῳδίας ποιητὴς ἑπτὰ πρὸς τοῖς ἐνενήκοντα ἔτεσιν ἐβίωσε καὶ πρὸς τῷ τέλει τοῦ βίου διδάξας τὴν Πυτίνην καὶ νικήσας μετ' οὐ πολὺ ἐτελεύτα· καὶ Φιλήμων δὲ ὁ κωμικὸς ὁμοίως τῷ Κρατίνῳ ἑπτὰ καὶ ἐνενήκοντα ἔτη βιούς.* Eundem fere numerum annorum commemorat Suidas, scilicet XCVI, sed idem addit, ab aliis CI. commemorari, monente Solano ad Lucian. l. c. Pytinen docuit anno primo Olympiadis nonae*); quatuor annis post (Ol. XC. 1.) Aristophanis Pax in scenam prolata est, in qua inter Mercurium et Trygaeum de nostro poeta hic sermo habetur: v. 701.

ΕΡΜΗΣ.

Τί δαί; Κρατῖνος ὁ σοφὸς ἔστιν;

ΤΡΥΓΑΙΟΣ.

ἀπέθανεν,

ὅθ' οἱ Λάκωνες ἐνέβαλον **).

ΕΡΜ.

Τί παθών;

ΤΡΥΓ.

ὅτι;

ὠρακιάσας ***)*· οὐ γὰρ ἐξηνέσχετο*
ἰδὼν πίθον καταγνύμενον οἴνου πλέων.

*) Cf. Argumentum sextum ad Aristoph. Nubes et Hermannum in praef. ad eandem fabulam p. XIX.

**) Expeditionem Lacedaemoniorum Brasida duce susceptam haud dubie respicit Aristophanes.

***) *ὠρακιάσας* dicitur is, qui vertigine correptus, animi deliquium patitur: *ὠχριάσας ἢ ἑλκυσθεὶς ἢ λειποψυχήσας, ἢ ἀθυμήσας,* Schol. ad Aristoph. Pac. 701. Suid. v. *ὠρακιάσας.*

Causam mortis, quam ex Aristophane apposuimus, falsam et ad declarandum nimium Cratini in vinum amorem a poeta fictam esse, vix opus est ut moneam. Sunt haec omnia tam certa et veterum locis ita firmata, ut nesciam, quid sibi velit Schol. ad Aristoph. Aves 532., cuius verba haec sunt: *ἔζη δὲ* (sc. *Λάμπων ὁ χρησμολόγος*) *ἐπὶ τῆς τῶν Ὀρνίθων διδασκαλίας, οὐχ, ὥς τινες, ἐτεθνήκει· πολλῷ γὰρ ὕστερον Κρατῖνος ἐν τῇ Νεμέσει οἶδεν αὐτὸν ζῶντα, καὶ ταῦτα πολλῷ ὕστερον.* Aves docuit Aristophanes anno secundo Olympiadis nonagesimae primae (a Ch. 415.); igitur multis annis post Cratinus Nemesin docuisset, si fidem tribueremus isti grammatico, qui ignorasse videtur, quonam anno Nemesin, in qua Lamponem quasi adhuc viventem inductum fuisse libenter concedo, in scenam protulerit Cratinus.

Tribui Oeneidi (*τῇ Οἰνηΐδι φυλῇ*, quae in Etym. M. v. *Βουτεάδαι* *)) laudatur) poeta noster praefuisse videtur; sed cum timidiorem sese gereret in hoc munere administrando, proverbium *Ἐπειοῦ δειλότερος* in eum translatum est. Fuit enim Epeus secundum Suidam v. *Ἐπειοῦ δειλότερος*, qui huius narrationis testis est, valde timidus.

Quanti apud veteres aestimatus fuerit Cratinus, clare patet ex magno numero grammaticorum, qui ad fabulas eius interpretandas se contulerunt, deinde ex ipsis eius fragmentis, denique ex testimoniis veterum, Aristophanis potissimum, qui eum, quamvis non raro perstringens lepidissime, magna cum veneratione et aestimatione commemorat.

*) Apostol. Proverb. VIII. 80. Zenob. Centur. III. 81. *Βουτεάδαι* vel *Βουτάδαι* familia erant nobilissima Athenis a generis auctore Codro rege vel heroe Buta nomen trahens. Cf. Valcken. ad Theocr. Adon. p. 334.

I.

In numero eorum, qui Cratinum interpretati sunt, eminet doctus ille Asclepiades Myrleanus, ab Athenaeo saepe laudatus, de quo Suidas et Vossius accuratius agunt. Ex eius scriptis huc pertinent libri *περὶ Κρατίνου*, de Cratino sive in Cratini fabulas commentarii. Laudatur enim huius grammatici interpretatio vocabuli *βαλανειόμφαλος*, quod ad fabulam Cratini, quae *Δραπέτιδες* inscribebatur, pertinere aliunde patet. Allegantur ab Athenaeo multi grammatici, qui partim de comoedia partim de nostro poeta commentati esse videntur. Athen. XI. p. 501. E.

Lycophro Chalcidensis, poeta simul et grammaticus scripserat olim in Cratinum commentarios.

Claudius Galenus Pergamenus, medicus ille celeberrimus, testatur se composuisse libros tres *τῶν παρὰ Κρατίνῳ πολιτικῶν ὀνομάτων*, de libris propriis in fine, ed. lat. Basil. T. I. p. 50.

Apud scholiastam ad Aristophanis Vespas v. 151. legitur *ἐν τοῖς περὶ Κρατῖνον*, ubi viri docti bene suspicati sunt scribendum esse *ἐν τοῖς περὶ Κρατίνου* et intelligenda vetera scholia in Cratinum.

Callistratus, Aristophanis grammatici praestantissimi discipulus, cuius saepe mentionem facit Athenaeus, commentarios scripserat in fabulam Cratini, quae Thressae inscribebatur (*Θρᾳττῶν Κρατίνου ὑπομνήματα*). Cf. Athen. XI. p. 495. B. et Wolfii Prolegg. ad Hom. p. CCXXI.

II.

Quanti se ipse habuerit Cratinus in Pytine, fabula admodum celebrata, ex uno, quod apponemus, fragmento potissimum intelligitur:

Ὦ 'ναξ Ἄπολλον, τῶν ἐπῶν τῶν ῥευμάτων!
Καναχοῦσι πηγαί· δωδεκάκρουνον στόμα·
Ἰλισσὸς ἐν φάρυγγι· τί ἂν εἴποιμί σοι;
Εἰ μὴ γὰρ ἐπιβύσει τις αὐτοῦ τὸ στόμα,
Ἅπαντα ταῦτα κατακλύσει ποιήμασιν.

Huius imaginis, qua orationis volubilitas et masculus vigor flumini comparatur, nubem exemplorum videsis apud Mitscherlichium ad Horatii carmina IV. 2. 5. Suidas v. Δωδεκάκρουν. στόμα Cratini verba haud dubie ex scholiasta ad Aristophanis Equites v. 523. hausit, vitiose vero descripsit. In primo versu scribendo et distribuendo secutus sum Toupium (Emendatt. in Suid. III. p. 56.), qui vertit: *Good god, what a flow of words is here!* ideoque secundum versum et tertii dimidiam partem recte pro singulari expositione sententiae in versu primo universim expressae habuit et praeterea versum laudat ex Aristophanis Pace v. 237, unde dicendi rationem in primo versu probat:

Ὦ 'ναξ Ἄπολλον, τῆς θυσίας τοῦ πλάτους!

Plura de hac locutione observavit idem vir doctus in Emendatt. ad Suid. I. p. 11.

In versu secundo καναχοῦσι restitui e Suida v. Ἀφελεία. Toupius scite monet l. c. poetam nostrum non sine gratia allusisse ad fontem ἐννεάκρουνον, qui antea vocatus est Καλλιρόη *); Suidam vero lapsum esse, cum Δωδεκάκρουνον hunc fontem appellatum contendat, egregie vidit Meursius **). Verba Suidae haec sunt: Δωδεκάκρουνος, κρήνη Ἀθήνησιν ἦν. Θουκυδίδης· Ἐννεάκρουνον. Cratinus cum augere conaretur suam gloriam, ioci causa haud dubie auxit quoque tuborum numerum,

*) Harpocrat. v. ἐννεάκρουνον. Thucyd. II. c. 15.

**) De Ceramici Atheniensium utriusque antiquitatibus c. XIV. in Gronovii Thes. Antiquitt. Graec. T. IV. p. 982.

quorum imagine usus erat, ut summam laudem in se referret; nunquam tamen exstitit fons Athenis, praeter os Cratini, qui *δωδεκάκρουνος* nominatus sit.

Ad mensuram huius fragmenti quod attinet, non offendunt anapaesti passim obvii, quos monente Hermanno comicus trimeter, praeter ultimum pedem, ubique admittit. Tamen restare videtur difficultas quaedam in versu tertio, in quo, cum quartus pes anapaestus sit, vocabulum finitur prima brevium syllabarum; nam Hermannus (Epit. doctr. metr. §. 146.) statuit, non fieri posse, ubi vel interpunctio personaeve mutatio pausam in ea syllaba fieri postularet, atque eiusmodi versus non dubium videri, quin corrupti putandi sint. Quamquam non litigarim cum viro egregio de posteriori lege, quam etiam poetae comici observasse videntur, cum duae personae inter se colloquentes et in quarto pede post primam brevium syllabarum sese excipientes versum aliquatenus dirimant pausamque iusto maiorem efficiant, sicut est in Aristoph. Vesp. 1369: tamen non video, quid obstet, quo minus legem priorem paulatim restringamus versusque multos Aristophanis, ab omni corruptionis suspicione liberos, inter sanos numeremus; uno enim versum quendam, in quo quartus pes secundum legem supra descriptam anapaestus est, recitante, tam arcte possunt duae huius versus partes pronunciando coniungi, ut vix durities quaedam vel pausa oriatur, cuiusmodi est noster:

Ἰλισσὸς ἐν φάρυγγι· τί ἄν εἴποιμι σοι;

et ille Aristophanis in Pace 217.

Ἐλέγετ' ἂν ὑμεῖς εὐθύς· ἐξαπατώμεθα.

cf. ibid. 213.

Totum Cratini fragmentum pulcram continet imaginem admirabilis in eloquentia ubertatis et locupletissimae dicendi copiae, quam Cratinus ipse, qui huius

fabulae (Pytines) persona erat primaria, in se audacter transfert atque gloriatur, non posse ullum poetam, qui secum in certamen descenderet, ulla de victoria spe gaudere.

III.

Suidas v. *Κρατῖνος* (cf. Eudocia in Villoisonis Anecd. Gr. p. 271.) dicit: *Κρατῖνος λαμπρὸς ἦν τὸν χαρακτῆρα.* Anonymus *περὶ Κωμῳδίας* poetam nostrum commemorat hoc modo: *γέγονε δὲ (Κρατῖνος) ποιητικώτατος κατασκευάζων εἰς τὸν Αἰσχύλου χαρακτῆρα.* Designatur hisce testimoniis sententiarum gravitas, poetici sermonis magnificentia et tragicae poesis spiritus, quem Noster ab Aeschylo expressisse videtur. Idem testatur Aristophanes, qui phantasmatum vim, copiam dicendi atque audaciam in Equitibus describit his verbis v. 523.:

Εἶτα Κρατίνου μεμνημένος, ὃς πολλῷ ῥεύσας πότ' ἐπαίνῳ
διὰ τῶν ἀφελῶν πεδίων ἔῤῥει καὶ τῆς στάσεως παρασύρων
ἐφόρει τὰς δρῦς καὶ τὰς πλατάνους καὶ τοὺς ἐχθροὺς προθελύμνους.

Est hic locus valde admirabilis et conferendus cum illo Horatii Carm. IV. 2.

Monte decurrens velut amnis, imbres
Quem super notas aluere ripas,
Fervet, immensusque ruit profundo
Pindarus ore;

nam *torrentem*, quam Iuvenalis Sat. X. v. 9. vocat, *dicendi copiam* ad utrumque poetam referre omnino licet. Respicit Aristophanes haud dubie ipsum Cratini locum, quem supra e Suida descripsimus, ubi ipse suo ingenio tribuit illam magniloquentiam, quam Scholiastes *τὴν μεγαληγορίαν* vocat, atque os profundum (cuius rei con-

trariam significationem habere videtur τὸ βραχὺ στόμα ap. Pindarum Nem. X. 35.), quod torrentis instar magno cum impetu ruens omnia adversa secum rapit atque dirimit. Cf. Schol. ad Aristoph. Equites l. c. Hanc vero magnam laudem non ironice ab Aristophane translatam esse in Cratinum, vel ob aliam causam, quae placet Scholiastae, quum dicit τὸ ῥεύσας εἶπε σκώπτων πρὸς τὸ ἐνουρεῖν τὸν Κρατῖνον, patet et ex totius imaginis sublimitate et ex loco sequente. Conqueritur Aristophanes de magna celebratissimorum olim poetarum miseria et deplorabili conditione vivendi, in quam Atheniensium mens inconstans et diversis temporibus diversissima eos deiecerit; ad quam sententiam confirmandam utitur exemplis quibusdam exquisitis, in primis Cratini, nunc ad decrepitam senectutem provecti poetae, cuius quoque olim maxima erat apud populum celebritas. Pergit enim hoc modo:

Ἄισαι δ' οὐκ ἦν ἐν ξυμποσίῳ πλὴν ΔΩΡΟΙ ΣΥΚΟΠΕΔΙΛΕ,
καὶ ΤΕΚΤΟΝΕΣ ΕΥΠΑΛΑΜΩΝ ΥΜΝΩΝ· οὕτως ἤνθησεν ἐκεῖνος.
νυνὶ δ' ὑμεῖς αὐτὸν ὁρῶντες παραληροῦντ' οὐκ ἐλεεῖτε,
ἐκπιπτουσῶν τῶν ἠλέκτρων καὶ τοῦ τόνου οὐκ ἔτ' ἐνόντος,
τῶν θ' ἁρμονιῶν διαχασκουσῶν· ἀλλὰ γέρων ὢν περιέῤῥει,
ὥσπερ Κοννᾶς, στέφανον μὲν ἔχων αὖον, δίψει δ' ἀπολωλὼς,
ὃν χρῆν διὰ τὰς προτέρας νίκας πίνειν ἐν τῷ Πρυτανείῳ
καὶ μὴ ληρεῖν, ἀλλὰ θεᾶσθαι λιπαρὸν παρὰ τῷ Διονύσῳ.

Haec satis declarant Cratinum tantae fuisse celebritatis, ut eius tantum carmina in conviviis recitata sint. Oritur quaestio, eamque commovit Casaubonus, utrum haec

carmina fuerint ex eius dramatis excerpta, an scolia inter epulas decantanda ab eo composita; nulla enim de hac re certa exstant testimonia veterum. Ego fateor, priorem tententiam posteriore plus probabilitatis apud me habere. Antiqua comoedia, praesertim Cratini temporibus, argumentum duxit et ex rebus publicis et ex gravissimorum civitatis virorum vita privata haustum et satis idoneum, quo delectationem largam sibi in quocunque coetu Athenienses comparare possent; tum non credibile est, poetam comicum scolia composuisse, praesertim cum veteres auctores de tali conatu ne verbum quidem tradant; neque probat quidquam Aristophanis interpres, qui Cratinum *μέλων ποιητὴν* vocat, quia *μέλη* de quovis carmine lyrico, a comoedia non alieno, dici possunt. Magni momenti sunt verba Scholiastae ad Aristophanis Nubes 1367. *ἀλλὰ μυῤῥίνην] μυῤῥίνης γὰρ κλάδον κατέχοντες ᾖδον τὰ Αἰσχύλου, ὥσπερ τὰ Ὁμήρου μετὰ δάφνης. — Δικαίαρχος ἐν τῷ περὶ μουσικῆς· „ἔτι δὲ κοινόν τι πάθος ἀεὶ φαίνεται συνακολουθεῖν τοῖς διερχομένοις, εἴτε μετὰ μέλους, εἴτε ἄνευ μέλους, ἔχοντά τι τῇ χειρὶ ποιεῖσθαι τὴν ἀφήγησιν· οἵ τε γὰρ ᾄδοντες ἐν τοῖς συμποσίοις ἔκ παλαιᾶς τινος παραδόσεως κλῶνα δάφνης ἢ μυῤῥίνης λαβόντες ᾄδουσιν.“* Iam si tragoediarum Aeschyli partes in symposiis recitabantur, quid obstat, quo minus idem de Cratino statuamus? Denique ex ipsis Cratini verbis ab Aristophane laudatis colligere posse mihi videor, depromta ea esse ex comoedia, in cuius cantico quodam ob deteriorem in moribus conditionem magistratum muneribus corruptum et omnia, quae civitatis sunt, vendentem acerbe aggreditur; ideoque deam quandam finxit, quae *Δωρῶ* appellatur (vocabulum a Cratino haud dubie fictum; simillimo enim modo idem fecit vocabulum *Δεξώ, ἀπὸ τοῦ δέχεσθαι δῶρα.* cf. Hesych. s. v. ubi alia eiusmodi exstant, et VV. DD. ad eundem v.

Γοργώ), quasi dicas *Dea Muneraria*, quam multis laudibus affecit et inter alia *συκοπέδιλον* vocat (quae vox itidem facta est a Cratino) ad denotandas *συκοφαντίας*, quae tunc temporis exercebantur. Ficulneos calceos habere significat primum ipsam sycophantiam et deinde mollitiem, infirmitatem et gradum suspensum, quem tarde moliuntur sycophantae. *Δωροῖ συκοπέδιλε* fuit *Κρατίνου μέλους ἀρχὴ* secundum Schol. ad Aristoph. Eq. 526. et quidem ex comoedia quadam; de altero cantico *Τέκτονες εὐπαλάμων ὕμνων* omnis dubitatio tollitur testimonio Scholiastae ad Eq. 527., qui diserte monet, desumtum esse e Cratini fabula, quae *Εὐμενίδες* inscribebatur. *Εὐπάλαμος* proprie epitheton est personae alicuius, quae ingeniosam manum habet ad artem qualemcunque factitandam. Zonar. ex. I. p. 901. dicit: *εὐπαλάμων ὕμνων ἀντὶ τοῦ εὖ διακεχειρισμένων* (ita enim legendum et restituendum est ex Scholiastae loco pro vulgari lectione *διακεχωρισμένων* ap. Zonarem) *ἢ συντεταγμένων*. *Τέκτονες* dicuntur omnis generis artifices. Schol. ad l. c. *τέκτονες πάντες οἱ τεχνῖται*. Haec obiter.

In laudibus de Cratino enumerandis versum supra ex Aristophanis Pace 701. allatum, in quo *σοφὸς* appellatur poeta noster, in lectoris mentem revocamus et huic aliud Aristophanis testimonium e Ranis 357. an nectimus, quod maximi est momenti. Chorus sacris Cereris initiatus haec verba facit:

Εὐφημεῖν χρὴ κἀξίστασθαι τοῖς ἡμετέροισι χοροῖσιν,
ὅστις ἄπειρος τοιῶνδε λόγων, ἢ γνώμῃ μὴ καθαρεύει,
ἢ γενναίων ὄργια Μουσῶν μήτ' εἶδεν μήτ' ἐχόρευσεν·
μηδὲ Κρατίνου τοῦ Ταυροφάγου γλώττης βακχεῖ' ἐτελέσθη,
ἢ βωμολόχοις ἔπεσιν χαίρει, μὴ 'ν καιρῷ τοῦτο ποιοῦσιν,
ἢ στάσιν ἐχθρὰν μὴ καταλύει, μηδ' εὔκολός ἐστι πολίταις· κ. τ. λ.

Videntur multi hunc locum perperam intellexisse. *Ταυροφάγος* est epitheton Dionysi, quo non solum Aristophanes sed etiam Sophocles in Tyro usus est. Cf. Schol. ad Ran. l. c. Aristarchi discipuli Bacchum hoc modo dictum esse contendunt propter boves illis, qui in dithyrambis victoriam reportarint, dono oblatos (cf. Phot. Lex. *Ταυροφάγος*. Schol. ad Aristoph. l. c.): quorum opinio iam a veteribus refutata esse videtur. Porro neque epitheton ad Cratinum relatum est, quod vini amans fuit, neque quod mater eius Bacchi Moschophagi sacris initiata habetur (Suid. v. *Ταυροφάγος*. Schol. l. c.), sed declaratur potius hoc epitheto insignis Cratini character, magna dicendi gravitas, qua sublimitatem, quatenus in comoediam quadraret, referre conatus est. Comoedia ad Bacchum quasi ad fontem recurrit, eumque huius artis praesidem et vicarium saepissime declarat. *Ταυροφάγος* est epitheton non a comicis ironice, sed a tragicis poetis Baccho tributum, quod propter certas causas in interiore Graecorum religione latentes in eum translatum est. Simili modo Juno *αἰγοφάγος* (Hesych. s. v. *αἰγοφάγος*. Pausan. Lacon. c. 15.), Iuppiter *αἰγοφάγος* apud Nicandrum dicebatur, quia animalia illa singulis diis, ad quos pertinebant, immolabantur. Significationem devorandi in his vocabulis aliquatenus evanuisse demonstratur loco Hesiodi, Ἔργ. 204, ubi *δωροφάγοι* dicuntur ii, qui dona accipiunt, nulla singulari significatione adhibita. Sicuti ad Bacchum eiusque sacra comoedia pertinet, sic illi, qui haec sacra in dei honorem exercent, Bacchi sacerdotes omnino possunt appellari. Cratinus autem ad tale gloriae fastigium ascendit, ut ipse Aristophanes non dubitaret, quin ipsius dei nomen in illum transferret. Metaphoram a Bacchi sacris desumtam Aristophanes, addito vocabulo *ἐτελέσθη*, quo *τελεταὶ* dei paulo inferius v. 368. diserte declarantur, egregie ser-

vavit. Notum est, Dionysi simulacrum in theatro collocatum fuisse eiusque sacerdotem sedem propriam habuisse (Schol. ad Aristoph. Ran. 310.), quam Aristophanes in Cratinum transfert, quum dicit in Equitibus v. 533.: ὃν χρῆν — θεᾶσθαι λιπαρὸν παρὰ τῷ Διονύσῳ; praeterea versibus Aristophanis in Ranis, quos disputationi inseruimus, si locum totum accuratius perpendis, magna inest vis et gravitas, sententiisque Cratini severitatis plenis opponuntur aliorum vilia et scurrilia dicteria.

Ex his omnibus luculenter patet, Cratinum maxime dignum esse, qui comoediae Aeschylus nominetur, non solum propter sermonis sublimitatem, sed etiam, quod primus certam atque iustam artis formam in comoediam transtulerit. Res est satis nota, tragoediam ab unici actoris angustiis profectam lentis successibus crevisse et ad florem pervenisse; Cratinus autem, cum primi Atticae comoediae scriptores magis ridendo et ludis ad iustas fabulas parum accurate relatis coram populo scommata et tela acerba in aequales misissent, idoneum personarum numerum constituit, fabulisque amplificationem et ornatum tribuit. Comoedia igitur, ut scite monuerunt viri docti, dignitatem nacta est diminuto actorum numero, ut tragoedia ampliato; mansit tamen in ea vetus indoles artis, ut viginti quatuor choreutis gauderet, tragoedia plerumque quindecim contenta esset. In comoediae origine, de qua uberius agere alienum est a nostro consilio, haec disputatio fundamentum habet tam certum et firmum, ut vix aliquid addi debeat. Dubium autem esse nequit, quin totus scenae comicae apparatus Cratini ingenio partim inventus sit, partim ab Aeschylo, tragoediae statore, mutuo sumtus, cui ille vi poetica simillimus perhibetur. Cratino florente conticescit nomen τρυγῳδία, et similia, quae in primos et rudes comoediae auctores referuntur; neque nimiam laudem in eum ac-

cumulare nobis videmur, si eius ingenii indefesso studio larvas seu personas ab Aeschylo prolatas (Horat. A. poet. 275. sqq.) comoediae adaptandi inventum tribuimus. Earum enim adminiculo licuit demum ipsos aequales ad vivi vultus similitudinem personatos in scenam inducere ridendosque praebere, ita ut illa audacia et potentissimos rei publicae viros insectandi studium, si artem spectamus atque iustum adoriendi consilium, in Cratino quasi fundamentum, habere, perfectionem apud Aristophanem accepisse videatur.

Quemadmodum de illis, quae supra recensuimus, sic etiam de metrica arte atque de varietate, qua metris est usus, optime meritus est noster poeta. Hephaest. Enchirid. 46, 6. 47, 1. ed. Gaisf. Multa metra, quae Aristophanea vulgo dicuntur, Cratinus iam usurpaverat. Hephaest. l. c. 44, 13. Schol. ad Aristoph. Plut. v. 478. Metrum Cratineum, de quo uberius agit Hermannus, Hephaestio 96, 15. et Priscianus multis locis commemorant et referunt inter metra polyschematista, negante Hermanno in Epit. doctr. metr. §. 505. et aliis locis. Hexametris saepe usum esse Cratinum eosque cum aliis versuum generibus miscuisse mirandum sane videtur. Athen. IX. 385. At inveniuntur huius rei exempla potissimum in fragmentis, quae ex eius Ulyssibus servata exstant, in quibus Homerum, cuius Odysseam maxime in lusum et iocum detorsit, in metris quoque haud dubie ludibrio habuit. In collocando et distribuendo choro, quandoquidem in fabulis erat *παράβασις*, recessit aliquatenus a reliquorum comicorum more; nam Scholiasta ad Aristophanis Pacem 733. dicit: *ἐστρέφετο δὲ ὁ χορὸς καὶ ἐγίνοντο στίχοι δ′*, et paulo inferius: *Κρατῖνος δὲ ἐν τῇ Πυλαίᾳ δηλοῖ ὅτι ἓξ ἐστι ζυγὰ τοῦ χοροῦ.* Cum vero choreutarum numerus idem semper fuerit, colligere licet, singulas choreutarum series e regione spectatorum col-

locatas in frontem seu latitudinem non tam diffusas stetisse, ut apud reliquos comicos, sed quatuor tantum personas exhibuisse, totumque chorum e seriebus huiusmodi sex in ordinem redactum fuisse per interiores scenae partes.

Sermo Cratini purus est et quasi Atticae elegantiae imago; inde enim factum est, ut tam multa fragmenta nobis supersint, quandoquidem laudantur a veteribus eo maxime consilio, ut ex nostri poetae magna auctoritate genuinam vocabulorum significationem testentur. Multi veterum singulas Cratini sententias imitati sunt et vario modo expresserunt (Clem. Alexandr. Strom. VI. 263.). Eupolim grammaticus anonymus vocat *δυνατὸν τῇ λέξει καὶ ζηλοῦντα Κρατῖνον*. Aristophanes in primis Thesmophoriazusis ex Cratini comoedia, quae *Ἐπιπράμενοι* inscribebatur, multos versus hausit et in suam rem transtulit (Clem. Alex. Strom. VI. 267.). E Cratini fragmentis nunc quoque multos locos conferre possemus, si hoc magni momenti esse duceremus; sufficiat igitur ex Graeco simul ac Latino scriptore unam alteramve sententiam protulisse. Aristophanes in Equitibus Cleonem loquentem inducit his verbis:

Δώσεις ἐμοὶ καλὴν δίκην
ἰπούμενος ταῖς εἰσφοραῖς.

Apud Pollucem in Onom. VII. 4, 1. eadem fere verba e Cratino laudantur:

Δώσεις ἐμοὶ καλὴν δίκην
ἰπούμενος ταῖς συμφοραῖς.

Locus uterque simillimus et idem omnino, si ad Scholiastam Aeschyli, a Stanleio editum, respicimus, qui in hoc loco Aristophanis pro *εἰσφοραῖς* legit *συμφοραῖς* (ad Prometheum v. 365.); quae lectio a Suida v. *ἰπούμενος* et Etym. M. probatur, a Zonara aliis. Cf. Dindorf. Aristoph. Equites 931.

Cratinus in Pytine dixerat Suida teste v. Ἀράχνη:

Ἀραχνίων μεστὴν ἔχεις τὴν γαστέρα.

quem locum satis lepide Catullus XIII. 7. imitatus est; rogans aliquem, ut afferat secum quidquid ad bonam et laetam coenam pertineat, pergit

— — — nam tui Catulli
Plenus sacculus est aranearum.

Nonnulli interpretes sacculum dictum esse a Catullo perhibent de crumena nummis vacua, quae non usu teratur. Res, quae sine usu iacent vacuae, solent quidem obduci aranearum texturis cf. Hesiod. Ἔργ. 475. Plaut. Aulul. I. 2. v. 5, 6.; Catullus tamen, quum paene ad verbum reddidit nostri poetae mentem, haud dubie sacculum intellexit de ventre, audacter, sed eo festivius. Non igitur cogitandum est de crumena nummis replenda, sed de ventre lautum convivium exspectante. Cf. Aristoph. Ecclesias. 813. Alia exempla addi possunt e Toupii Emendatt. in Suid. II. p. 262.

Iam mentio facienda est Democriti, cuius testimonio Cratinus praeclarissimus poeta habetur, qui lampada tollens praeiverit reliquos, iisque versus suos imitandos et excolendos reliquerit. Athen. VI. p. 268. E. Inter Cratini fabulas Eunidae (Εὐνεῖδαι, γένος Ἀθήνῃσι μουσικόν, Etym. M. 393, 34.) magnopere excellueruut atque tradit Athenaeus XV. p. 698. C. ex Ptolemaeo, Hephaestionis filio, Alexandrum Magnum, Macedoniae regem, huius dramatis lectione tantopere delectatum esse, ut ipse liber post mortem regis ad ipsius caput inveniretur. Quodsi magnum habetur Alexandri ingenium et in eligendis poetis acumen, praestantissimum et elegantissimum Cratinum arbitremur necesse est. Cf. Ptolem. Hephaestionis f. hist. apud Photium in Biblioth. p. 151. a. 11. ed. Bekker.

IV.

Quamquam Cratinus talis fuerit poeta inter paucos magnus, tamen Aristophanes eum, quem passim admodum laudat, salsissimo saepe lepore persecutus est; utrum invidia in aemulum gravissimum adductus, an consueta comoediae licentia usus, in dubio relinquamus. Hoc vero pro certo potest affirmari, Aristophanem non infestum animum in Cratinum declarasse, sed facetiis et festiva quadam cavillatione cum auditores, tum (sicut hoc tempore res erant) ipsum adversarium exhilarasse. Huc pertinet illud ex Aristophanis Acharnensibus 1172.:

Κᾆθ' ἕτερον νυκτερινὸν γένοιτο (sc. *Ἀντιμάχῳ*).
ἠπιαλῶν γὰρ οἴκαδ' ἐξ
ἱππασίας βαδίζων,
εἶτα κατάξειέ τις αὐ-
τοῦ μεθύων τῆς κεφαλῆς Ὀρέστης
μαινόμενος· ὁ δὲ λίθον βαλεῖν
βουλόμενος, ἐν σκότῳ λάβοι
τῇ χειρὶ πελεθὸν ἀρτίως κεχεσμένον·
ἐπαΐξειε δ' ἔχων
τὸν μάρμαρον, κᾆπειθ' ἁμαρ-
τὼν βάλοι Κρατῖνον.

Unusquisque intelligit Aristophanem nihil aliud spectasse, quam Cratinum iocose ridendum praebere; quod ipsum scholiasta quoque ad hunc locum monere videtur, quum dicit: *βάλοι Κρατῖνον, παρ' ὑπόνοιαν λέγει, οὐ τὸν ποιητὴν ἀλλά τινα ἀλαζόνα καὶ θρασὺν καὶ μαινόμενον καὶ μέθυσον. Βάλοι οὖν, φησί, τοῦτον ἵνα πλείοσι κακοῖς περιπέσῃ τυπτόμενος ὑπ' αὐτοῦ.*

Praeterea Aristophanes Cratinum propter sordidam et indecoram vitae conditionem exagitavit et proterve perstrinxit in Acharnensibus 849.:

Οὐδ' ἐντυχὼν ἐν τῇ 'γορᾷ πρόσεισί σοι βαδίζων
Κρατῖνος ἀεὶ κεκαρμένος μοιχὸν μιᾷ μαχαίρᾳ.

Cf. Schol. ad l. l. et Suid. v. *Μοιχος*.

Deinde in Nubibus Socrates Strepsiadi, qui sese cataturire praetendit, respondet v. 296.:

Οὐ μὴ σκώψεις, μηδὲ ποιήσεις γ', ἅπερ οἱ τρυγοδαίμονες οὗτοι.

atque scholiasta monet haec: *Οἱ ἄλλοι κωμικοί· οὗτοι γὰρ ἐν τοῖς ποιήμασιν αὐτῶν ἀθρώπους εἰςῆγον χέζοντάς τε καὶ ἕτερα αἰσχρὰ ποιοῦντας· λέγει δὲ δι' Εὔπολιν καὶ Κρατῖνον.*

Idem Aristophanes in Equitibus 399. Cleonem inducit ad chorum haec verba dicentem:

Εἴ σε μὴ μισῶ, γενοίμην ἓν Κρατίνου κῴδιον.

Meliorem scripturam *εἴ σε μὴ μισῶ* ex Aristophane edidi, cuius vestigia exstant apud Scholiastam Pindari Pyth. IV. 407. p. 368. ed. Boeckh. *ἤν σε μὴ μισῶ γενοίμην ἓν Κρατίνου κῴδιον.* Contra metrum vero peccat lectio apud Suidam obvia; *εἰ μή σε μισῶ —;* retineo tamen e Suidae loco lectionem *γενοίμην ἓν Κρατίνου κῴδιον,* quae nititur omnium Aristophanis librorum auctoritate atque testimonio Scholiastae Pindari, cuius verba modo adscripsimus. Mutata est autem nuper haec lectio ab Aristophanis editore Dindorfio, qui, nescio qua auctoritate vel interpretatione nisus *γενοίμην ἐν Κρατίνου κῴδιον* imprimi iussit, unde partim ipsa vocabulorum grammatica iunctura destruitur, partim totius imaginis natura tollitur; praeterea non videtur scholiasta, ut vir doctus censet, in hanc sententiam inclinare, quin potius comprobatam hactenus lectionem amplius confirmare, qua de causa idem Dindorfius in edendo Aristophanis scholiasta sinceram lectionem tollere ausus non est.

Spectant hi aliique loci ad Cratini turpitudinem vivendi, deinde ad obscoenitatem, denique ad eius ebrietatem. Quomodo vero haec accusatio, iusto severius saepe accepta, in Cratinum quadret, ulterius videamus.

V.

Vivendi turpitudinem Aristophanes aliique in Cratinum conferre posse sibi videbantur, qui poetae nostri fabularum integrarum singulos locos vel fragmenta, in quibus deterrimae vitae conditiones saepe describuntur, iusto severius presserunt atque mente contrectarunt. Ex Aristophanis vero facetiis cavillandique more colligi omnino nequit Cratinum ipsum impudicum fuisse;

Nam castum esse decet pium poetam
Ipsum, versiculos nihil necesse est.

Catull. carm. XVI. 5. Plin. Epist. IV. 14.

Haec venustissimi poetae sententia per se admodum probabilis arbitranda eo maiorem nanciscitur auctoritatem, quo enucleatius perscrutamur, an poeta aliquis in sectandis vitiis, quibus sua aetas laborat, occupatus sit necne. Cum vero priscae comoediae apud Graecos unus fere character in notandis et traducendis aequalium flagitiis consistat, singulorum comicorum duplicem et quidem subiectivam pariter atque obiectivam, quam vocant, rationem, qua ad civitatis statum et ad se ipsos referuntur, accuratius perscrutemur necesse est; ex hac enim aestimare licet, quomodo ipsa, in qua vivunt, civitas sese habeat, num ita sit corrupta et depravata, ut satis largam indignandi materiam praebeat; ex altera autem, an poetae mens atque animus ita its constitutus, ut sui temporis flagitia recte percipiat, eorum fontes cognoscat indignatioque ex ipsius animo ac pectore erumpens ipsa scelera accurate depingere et graviter aggredi sciat. Hae leges non solum observandae sunt in censendis Graecarum litterarum monumentis, quae ex antiqua comoedia prodiere, sed etiam in tractandis Latinorum poetis, quorum insigni ingenio satira exculta est, ut sunt Lucilius, Horatius, Persius, Iuvenalis, alii, qui, Athenien-

sium comoediam in universum imitati (Hor. Sat. I. 4, 6. Varro de re rust. III. 2. 7. Pers. Sat. I. 123.), diversi diverso tamen modo nunc severiori nunc paulo mitiori suum aevum diiudicarunt, hae duae rationes omnino non sunt negligendae, si unumquemque ad iustum iudicium revocare studes.

Iam non verendum videtur, ne aliquis Atheniensium civitatem Cratini temporibus in deterioris democratiae statum redactam, pessimorum hominum flagitiis laborantem, internis vitiis contaminatam, a recta ratione, quam sequi debebat perpetuo, contortam atque deflexam, ad labem et ruinam fere deiectam fuisse neget. Quaero praeterea, an non veterum testimoniis satis confirmatum sit, Cratinum maiore indignatione, ac reliqui omnes, hanc pessimam rei publicae conditionem sensisse, summosque viros nudato gladio aggressum prostrasse atque vitam impudicissimis voluptatibus inquinatam versibus suis punivisse et quidem eo maiore vi ac vigore, quo vehementius ipse poeta natura sua valuerit et mentis viribus excitatus, quasi divino quodam spiritu inflatus fuerit. Quae cum ita sint, sanam mentem poetae et animum integrum, quamquam ad pravitatem castigandam pronum, ponamus necesse est.

Digressa est paulatim nostra disputatio, ut irritam redderemus multorum sententiam de nostro poeta paulo severius prolatam. Temerarie vero et sane inepte compositum est epigramma in Cratini foeditatem auctore D. Ios. Barberio in eius commentatione De miseria poetarum. Cf. Gronovii Thes. antiquitt. Graec. T. X. p. 836.

Luxuria est coniuncta gulae, est sata et utraque Baccho,
  Et foedat corpus turpiter atque animam.
Foedior est ea, quam natura exhorret. An esse
  Tu censes hominem, quem atra libido premit?

Bellua sed dici debet foedissima flammis
Cocyti urenda, heu concipere ista pudet!

Addit praeterea fabulam, de qua, si placet, ipsum videas, temulentiae et deterrimae libidinis, quam unde hauserit, scire optatissimum mihi esset; suspicor tamen, fontem esse in Suida quaerendum, ubi (v. *Κρατῖνος*) poeta noster *Παιδικῶν ἡττημένος* dicitur, nullam haud dubie aliam ob causam, quam quod harum rerum saepe mentionem facit ideoque in his sibi placere posteris visus est.

VI.

Secundum vitium, quo Aristophanes Cratinum accusat, versatur in obscoenis dicteriis, quibus usus esse dicitur in comoediis. Haec accusatio his omnino tollitur, quae modo uberius disputavimus. Exstant sane nunc quoque in fragmentis multa obscoeni sermonis exempla sed quemnam fugit, has maculas priscae comoediae inde a prima eius origine adhaesisse? Idcirco Cratinum eo maiore cum iure defendere licet, cum ad limites illius templi stetisset, quod Musae Aristophani condidere, ideoque eo propius accederet ad inconditos illos cantus cum effusa laetitia obscoenis dicteriis iocisque scurrilibus exagitatos. Nonne sat gloriae sibi accumulavit, cum ad iustum artis genus redigeret comoediam? Nonne ipse Aristophanes, in quo summum praestantiae fastigium priscam comoediam assecutam esse contendunt viri docti, iocis mimicis, quibus tantum plebs vilissima delectabatur, fabulas suas exornavit? Athen. III. p. 122. B. C. Ipsum Aeschylum sublimem et grandem poetam, ipsum Sophoclem incorruptum in dramatis satyricis multa, quae nobis indecora viderentur, in scenam protulisse, mihi quidem persuasissimum est. Sufficiat nobis pro poetarum

comicorum re causam dicturis, unum Ovidii (Trist. II. v. 409.) locum memoria tenere, qui haec verba exhibet:

Est et in obscoenos deflexa tragoedia risus
Multaque praeteriti verba pudoris habet,
Nec nocet auctori, mollem qui fecit Achillem
Infregisse suis fortia facta modis.

Cogitarunt sibi interpretes varios poetas, ut Sotadem, alios, quorum carmina aliena erant a verecundia et pudore; Sophoclis vero intelligendum esse drama satyricum, quod Ἀχιλλέως ἐρασταὶ inscribebatur (cf. Schol. ad Apollon. Rhod. Arg. IV. 816.) probabile videbatur quibusdam viris doctis. Nobis eo magis probabilis habetur haec coniectura, cum e dramate illo satyrico Sophoclis versus eiusmodi argumenti, quod nobis probare Ovidio in animo est, coniungi potest cum simillimo Cratini et alio Eupolidis loco non multum differente. Locus est apud Scholiastam ad Aristophanis Vesp. 1021, unde Suidas v. *Παιδικὰ* sua descripsit; *Παιδικὰ, ἐπὶ θηλειῶν καὶ ἀῤῥένων ἐρωμένων τάττεται ἡ λέξις. Παραδείγματα τοῦ ἐπὶ μὲν τῶν ἀῤῥένων τάττεσθαι ἄλλα τε οὐκ ὀλίγα καὶ τὸ ἐνταῦθα· καὶ ἐν τοῖς Ἀχιλλέως ἐρασταῖς δῆλον ὡς οὕτως ἐξείληπται· ἐπιδόντων γάρ τι τῶν Σατύρων εἰς τὴν γυναικείαν ἐπιθυμίαν, φησὶν ὁ Φοίνιξ·*

Παπαὶ τὰ παιδιχ', ὡς ὁρᾷς, ἀπώλεσας.

Κρατῖνος ἐν Πανόπταις·

Μισεῖς γὰρ τὰς γυναῖκας, πρὸς δὲ παιδικὰ τρέπεις νῦν.

Εὔπολις·

Ἐγὼ δὲ χαίρω πρὸς τοῖς σοῖσι παιδικοῖς.

Cratini versum mihi videor restituisse transposita particula *δὲ*, quae apud Suidam omnino deest; eundem versum ut Anapaestis constantem, alia, sed paulo audaciori, ut videtur, emendandi ratione restituit Iacobsius ad Anthol. Gr. Palat. T. III. p. 666. Simile prorsus exemplum praebet Euripidis Cyclops 580.

Abhorrent haec omnia valde quidem a nostri sensus elegantia morumque nostrorum exquisitiori cultu, quem nihilominus hodie in fabulis nostratum scelesta protervitate, illecebris, quae hominum phantasiam sensusque titillant, involuta, probitatis fuco illita, occulta igitur paulatim via eaque moribus magis obnoxia, omnino laedi vix est quod demonstremus. Apud Graecos aliter. Qui vero illa antiqua oculis nostri aevi contemplatur, non dignus est, qui de iis iudicium ferat; popularibus enim suis, non nobis scripserunt comici. Accedit Frischlini *), viri admodum docti, testimonium, quod unde hauserit nondum compertum habeo. Verba haec sunt: „*Idem ergo finis nostro poetae* (sc. Aristophani) *fuit propositus, ut spectatores in risum solutos. excitaret et de sapientibus dictis atque occultis in comoedia consiliis admoneret ipsosque de corrigenda re publica et emendandis moribus quasi praepararet. Quis enim vetat et ridentem dicere verum? Certe illis temporibus adeo puriebant aures populi, ut Cratinum cum sua grege loco moveret propterea quod nihil obscoeni admiscuisset. Neque enim comoedias vel audiebant vel spectabant, quae non obscoenos haberent iocos; sicut alibi queritur de hac re ipsemet Aristophanes.*" Si haec sententia de Cratino certa quadam veterum auctoritate niteretur, magis magisque compertum haberemus illum strenuum ad modum Aeschyli excultum characterem, de quo supra monuimus.

VII.

Iam accedimus ad tertium crimen, quo Cratinus accusatur, ebrietatem dico, quae saepe post Aristophanem iusto peiore significatione sumta est et diiudicata. Viri

*) In commentatione, cui est titulus: Defensio Aristophanis contra Plutarchi criminationes. Praefixa est eiusdem Frischlini editioni comoediarum Aristophanis Francof. a. M. 1586. 8. p. 9.

docti enim tantopere pressere Aristophanis verba de hoc vivendi more Cratini, ut in eo ebriosum ac temulentum helluonem non poetam admodum insignem invenirent. Cf. Liban. sophist. epist. 1510. ed. Wolf. Fuit sane Cratinus magnus vini amator atque ex fabula eius, quae *Πυτίνη* inscribebatur, etiam si reliquias consideras, clare id intelligi licet. Aristophanes in Equitibus 533., quum dicit:

Ὃν χρῆν διὰ τὰς προτέρας νίκας πίνειν ἐν τῷ πρυ-
τανείῳ,

Cratinum admodum laudans vexat propter eius bibacitatem; nota est enim *ἡ σίτησις, τὸ σιτεῖσθαι, τὸ δειπνεῖν ἐν τῷ πρυτανείῳ* (Aristoph. Ran. 776. Eq. 280. et 571.), Cratini vero summum praemium in vino accipiendo consistere posse lepidissime annotat Aristophanes; nam vinum parvi pretii erat Athenis. Cf. Boeckh. in egregio libro: Staatshaushaltung der Athener T. I. p. 65, 66, 107. Multi poetae cantant de vino et Bacchi munera celebrant, quamvis aquam bibere coacti; Cratinus autem Bacchi donis fruitus, eorum egregiam vim in poesin transtulit, cum ipsi persuasissimum esset, percepto vini vigore vigere et confirmari ipsum animum, integris viribus instrui atque ad divina ingenii opera producenda excultum iri. Hac sententia nititur illud epigramma valde speciosum incerti auctoris; nominatur enim modo Niceratus, modo Theaetetus, modo Asclepiades alii. Vide Brunckii Anthol. T. I. p. 417. et Athen. II. p. 39. C.

Οἶνος τοι χαρίεντι πέλει ταχὺς ἵππος ἀοιδῷ,
Ὕδωρ δὲ πίνων χρηστὸν οὐδὲν ἂν τέκοις.
Ταῦτ᾽ ἔλεγεν, Διόνυσε, καὶ ἔπνεεν οὐχ ἑνὸς ἀσκοῦ,
Κρατῖνος, ἀλλὰ παντὸς ὠδωδὼς πίθου.

Τοι γάρ τοι στεφάνων δόμοις ἔβρυεν εἶχε δὲ κιττῷ *)
μέτωπον, οἷα καὶ σὺ, κεκροχωμένον.

atque Horatius Epist. I. 19. init.

Prisco si credis, Maecenas docte, Cratino,
Nulla placere diu, nec vivere carmina possunt,
Quae scribuntur aquae potoribus —

denique poeta noster apud Athenaeum XI. p. 466.

Πιεῖν δὲ θάνατος οἶνον, ἂν ὕδωρ ἐπῇ.

Cf. Athen. II. p. 43. F. I. p. 22. F.

Num vero Cratinus solus in vino vigorem ac virium ingenii restaurationem quaesivit? Nonne Horatius, ut inter Romanorum poetas in hoc uno consistam, vinum primarium poesis socium arbitrabatur? nonne siccis omnia dura deum proposuisse autumat, Enniumque patrem nunquam, nisi potum, ad arma prosiluisse dicenda? Ebrii poemata sua componere consueverunt Aeschylus, Aristophanes et Alcaeus monente Athenaeo X. p. 428. F. 429. A. Cf. II. p. 39. C. Rem ipsam comprobant hi Amphidis versus, ut alios taceam:

Ἐνῆν ἄρ' ὡς ἔοικε κἂν οἴνῳ λόγος,
Ἔνιοι δ' ὕδωρ πίνοντες εἰσ' ἀβέλτεροι.

Hic Cratini in vinum amor tantam dedit Aristophani cavillandi copiam, ut in Pace 701 eum mortuum esse diceret prae moerore, cum dolium vino plenum frangi videret. Si in universum consideramus, quam mirae causae de morte summorum virorum maxime poetarum ut Aeschyli, Sophoclis, Philemonis, Eupolidis aliorum passim tradantur, non mirandum est, quod de singulis moveatur suspicio. Simili modo in Aristophanis

*) Dionysus vocabatur *Κισσοχαίτης* apud Cratinum in his:

Εὔϊε, Κισσοχαῖτ' ἄναξ, χαῖρ' —

cf. Hephaest. Enchir. p. 96, 15. *Κισσοφόροις ἐπὶ διθυράμβοις* legitur in Brunckii Anal. T. I. p. 141. ex Simonide.

animo cavillandi fontem, ex quo mors illa ficta fluxerit, quaerendum esse, unusquisque concedet. Quo facetius hanc rem invenit Aristophanes, eo acerbius nostrum poetam mordet in Equitibus v. 399. (cf. schol. ad l. l. et Suid. v. *Κώδιον*), cum eum non solum ebriosum vocet sed ut lecti permінctorem perstringat. Notum est cum ex aliis veterum, tum ex Aristophane, Graecos pro pulvinari et stragulis in usu habuisse ovilla vellera et his lodicibus involutos dormivisse (cf. Hom. Hymn. in Venerem 160. Aristoph. Nub. 10. Lysist. 942.). Illo tempore, quo Equites docuit Aristophanes, ad decrepitam senectutem Cratinus iam profectus feriis fruebatur vinoque gaudebat, unde inter dormiendum aliquid humani facile ipsi accidere poterat; Aristophanes hanc rem ex more suo augens publice iudicium protulit Cratinum non posse urinam retinere, quod *ἐνουρεῖν* vocat Scholiasta. Cleo scilicet, cum dicat se maxime acerbatum esse odio in chorum, eo confirmare studet suam sententiam, ut, si vera non sit, miserrima sorte uti se velle polliceatur; hanc vero miserrimam sortem ponit comice in velleribus Cratini atque sensus est monente Scholiasta *γενοίμην ἓν τοῦ Κρατίνου κώδιον* (*προβάτου* Dindorf. ad h. l.) *ἵνα κατασήπωμαι ἐνουροῦντος αὐτοῦ.* Similiter aliquis se devovit apud Alexim:

— — — εἴ τινας μᾶλλον φιλῶ
ξένους ἑτέρους ὑμῶν, γενοίμην ἔγχελυς,
ἵνα Καλλιμέδων ὁ κάραβος πρίαιτό με.

Athen. VII. p. 340.

Leviter quidem his conviciis imminuebatur nostri potae dignitas, nam cavillationes in ineptias, quibus diversi diversis plaudere solent, magnam ingenii et poesis auctoritatem labefactare non poterant. Aristophanes, cum Olympiadis octogesimae octavae anno quarto (424. a Chr.) Equites doceret, infestissime aggressus est Crati-

num, ut passim exemplis probavimus; praeterea vero adiecit haec verba v. 528.

νυνὶ δ' ὑμεῖς αὐτὸν ὁρῶντες παραληροῦντ' οὐκ ἐλεεῖτε
ἐκπιπτουσῶν τῶν ἠλέκτρων καὶ τοῦ τόνου οὐκ ἔτ' ἐνόντος
τῶν θ' ἁρμονιῶν διαχασκουσῶν —

Aristophanem in his versibus metaphora usum esse atque Cratinum inde diiudicasse, unusquisque primo adspectu intelligit, quaestio autem, unde hanc metaphoram sumserit, difficultates paravit, quas viri docti varia ratione adhibita removere conabantur. Versus obiter perlegentibus in mentem statim venerat metaphora de instrumento musico, quod olim praeclarum, nunc vetus et obsoletum labantibus clavis, chordis dificientibus harmoniaque fatiscente nihil valeat. At cum ad aliam explicationem Scholiasta refugiat, singulaque vocabula, quibus Aristophanes utitur, saepe duplicem vim et significationem praebeant, gaudeo interpretem invenisse, qui magno suo acumine, ut solet, hanc totam rem ad liquidum perduxisse videtur. Scilicet est Buttmannus, qui in commentatione apud Cll. sodales Academiae Berolinensis praelecta, nostrum locum ita tetigit, ut summam huius disputationis breviter repetere hoc loco eo aptius videatur, quo rarius divulgatae sunt Academiae scientiarum Berolinensis praeclarissimae commentationes *). Ex verbis *ἐκπιπτουσῶν τῶν ἠλέκτρων* statim intelligitur poetam de supellectili olim satis praeclara nunc ornamentis privata cogitasse: cum vero eodem et sequente versu *τὸν τόνον* atque *τὰς ἁρμονίας*, vocabula ad artem musi-

*) Inscripta est Buttmanni commentatio: Ueber das Electron, inserta illi parti commentationum Academiae Berolin. cui titulus: Abhandlungen der historisch-philologischen Klasse der Königl. Preuss. Acad. der Wissensch. aus den Jahren 1818—19. p. 45. sqq.

cam pertinentia, addat, colligendum est, eum non neglexisse priorem metaphoram sed vocabula potius usurpare, quorum vis duplex et in supellectilem et in musicam quadrat *). *Ἁρμονίαι* scrinariis sunt compages sive iuncturae, quibus duae partes cohaerent, eundemque igitur praebent sensum in utramque partem sumendum, ac si dicerent Germani de viro musico senescente et in deteriorem partem vergente *„Seine Fugen klaffen“*. Huic accedit, quod vocabulum *τόνος* praeter vulgarem vim ex arte musica sumtam, etiam ad funes et nervos extentos referatur (Turneb. Advers. II. c. 4.), potissimum ad illos nervos, qui per spondas aut sellas traiecti, intenduntur, ut tomenta et culcitras, quae superimponuntur, sustineant (cf. Aristoph. Lysist. 922.). Simili modo sellae in curru colligatio (*ἡ ἱμάντωσις τοῦ δίφρου*) *τόνος* dicitur ap. Iul. Poll. Onom. I. 142. Ad haec omnia ex deteriori vitae conditione comice desumta revocari debet comparatio, quam Aristophanes de Cratino instituit. Cratinum senem ab Atheniensibus neglectum comparat cum lecto olim magnifico et undique ornato nunc inter veteramenta ponendo et digno, qui a scrutariis veneat, quandoquidem compages labefacta, funiculi disrupti sint et distracti. His adduntur verba *ἐκπιπτουσῶν τῶν ἠλέκτρων* et Scholiasta, quum haec interpretatur, sententiam supra expositam egregie confirmat: *τῶν ἠλέκτρων· ἰδίως τὰ ταῖς κλίναις ἐπιβαλλόμενα οὕτως ἐκάλουν ἤλεκτρα. αἱ γὰρ ἀρχαῖαι κλῖναι τοὺς πόδας εἶχον ἠσφαλισμένους ἄνθραξι καὶ ἠλέκτροις ὥσπερ νῦν ἀργύρῳ ἢ καττιτέρῳ. Τὰ ἤλεκτρα* non referri posse ad metallorum genus, vel ex

*) Huic quaestioni omnino satisfacit Scholiastae interpretatio. Vocabuli *ἁρμονίαι* significatio egregie illustratur in fragmento ex Antilaide Epicratis v. 14. ap. Athen. XIII. p. 570. D., unde apparet, usurpatum esse etiam de corporis compagibus. Cf. Hom. Il. X. 255. Od. E. 248.

antithesi, quae voces ὥσπερ νῦν ἀργύρῳ ἢ κιττιτέρῳ exhibet, facile probatur, vel ex addito vocabulo ἄνθραξι, quod carbunculum rubrum ipsum significat similemque vim in electrum transferre videtur. Suidas v. ἤλεκτρα, ex nostro Scholiasta sua hauriens, ut vocem ἤλεκτρα explicaret, multa habet prorsus mutata atque pro ἠσφαλισμένους legit ὠφθαλμισμένους, quam lectionem Toupius ad Suid. v. ὠφθαλμ. et Schneiderus pro sincera habent. Illa scilicet nostrum locum omnino explanat, et si aliquid lucis praeterea desideratur, conferamus Etymologicum Magnum v. Ἤλεκτραι, ubi vox eadem his verbis illustratur τὰ ἐν τοῖς κλινόποσι τῶν σφιγγῶν ὄμματα ἢ τὰ ἐν ταῖς κλίναις ποικιλλόμενα. Lecti vero postes formam habuisse sphyngorum earumque oculos tantum consignatos fuisse, colligi inde non licet; nam has particulas commemorasse minoris momenti fuisset, cum non admodum ornarent lectum, multo minus tam illustrem redderent, quam ab Aristophane additis vocabulis ἐκπιπτουσῶν τῶν ἠλέκτρων describi videtur. Ex glossis supra alligatis patet electrum de ornamentis et caelatura, qua res variantur, universe usurpatum esse, cum sane quondam electrum unicum ornamentum fuerit, notione igitur latiori significare τὰ ἐν ταῖς κλίναις ποικιλλόμενα. Haec ipse Scholiasta ad nostrum locum haud dubie dixerat, quandoquidem Suidas, plura ex illo hauriens, quam nos hodie legimus, locum accuratius servasse videtur his verbis: ἰδίως τὰ ταῖς κλίναις ἐπιβαλλόμενα ἐλεφάντινα οὕτως ἐκάλουν ἤλεκτρας, ita ut modo ornamenta ebore, modo metallis variis distincta cogitanda sint. Egregie quadrat locus Apuleii Metam. 6. p. 185. a Toupio laudatus:

„Bullis te multis aureis inoculatum velut stellis sidereis relucentem“ ex quo lectum illum Aristophanis bullis et umbilicis, propter formam cum sphyngorum

oculis comparandis, propter electrum, ex quo priscis temporibus facti erant, ἤλεκτρα nominatis, constitisse, colligi potest. Fortasse lusum posuit poeta in vocabulis ἔκλυρον et παραληρεῖν. Haec hactenus.

Sequente anno idem Cratinus, quem Aristophanes περιέῤῥειν et ληρεῖν ferias igitur agere, et res ineptas tractare dixerat, ostendit Atheniensibus, quamquam vires musculorum corporis propter vegetam et decrepitam senectutem paulisper hebitatae sint, ingenium tamen integerrimis viribus summoque vigore praeditum esse. Nam ille senex nonaginta sex fere annorum, iuvenili robore instructus cum Aristophane adversario certaturus in arenam descendit omnemque curam impendit, ut non solum adversarium suum acerbiori flagello, quam apud illum poenas dederat, persequeretur coram populo Atheniensium, sed etiam victoriam reportaret. Neque spes eum fefellit. Tertius huius certaminis particeps erat Amipsias. At docuisse Aristophanem Nubes anno primo Olympiadis octogesimae nonae, Archonte Isarcho, Dionysiis, testatur primum vetus scriptor in enumeratione Olympiadum, deinde grammaticus anonymus in argumento sexto Aristophanis Nubibus praefixo et denique Scholiasta ad Nubes v. 518. ed. Herm., porro Cratinum ex hoc certamine palmam retulisse, neque eam de uno Aristophane sed de Amipsia quoque, ita quidem, ut Aristophanes non solum deteriorem conditionem sequeretur sed iudicum sententiis utrique poetae posthabitus magnas poenas daret propter suam gloriandi et cavillandi cupidinem.

Cratini fabula, quae ἡ Πυτίνη inscribebatur, admodum celebrata erat propter causam, qua permotus Cratinus in scenam prodiit et propter decrepitam senectutem, quam, cum illam componeret, assecutus erat. Titulus huius fabulae convenit argumento. Πυτίνη est

Suida teste id quod *Φλασκων* igitur *vas vinarium* iuncis et vimine firmiter plexum et pice illitum (quamquam saepe alia ratione expositum est a viris doctis). *Πυτινοπλόκος* est talis, qui vimineis vasis texendis victum sibi quaerit, qualis Diitrephes traducitur in Aristophanis Avibus 799. ; dicitur enim *πυτίνας πλέκειν* (Schol ad Aristoph. l. c.). Ceterum de vocabulo *πυτίνη* fusius disputarunt interpretes ad Iul. Poll. Onom. X. 58. ed. Hemsterh. ad Clement. Alexandr. Strom. 265, 48. ed. Sylb. et ad Athen. III. p. 94. F. Explicuimus supra locum ex Aristophanis Equitibus, in quibus Cratinus accusabatur, quod in diem viveret feriisque iusto longioribus frueretur. Hanc accusationem paulo iniquiorem esse, ipsis veterum testimoniis probatur, cum duobus annis ante (Ol. LXXXIX, 1.; 423. a Chr.) eius *Χειμαζόμενα* cum Aristophanis Acharnensibus, ut ex argumento ad Aristophanis Acharnenses patet, anno praecedente Ol. LXXXVIII. 4. a. Ch, 424. eiusdem Cratini fabulam *Σάτυροι* inscriptam cum Aristophanis Equitibus certasse diserte legimus in argumento ad Equites.

Tantum igitur abest, ut concedamus Cratinum omnino abstinuisse a scribendis ac docendis fabulis, ut etiam valde diligentem in sua provincia fuisse contendamus. In se ipsum Pytinen scripsit Cratinus ad ebrietatem suam excusandam, quod primo adspectu mirum alicui videatur, aliis vero exemplis probatum est; comici enim, quum se ipsi sectabantur, rei acerbitatem diminuere et risu commoto accusationem removere putabant. Exempla habet Plutarchus in Sympos. II. 1. de Aristophane, qui calvitiem suam derisit in Place 167. de Agathone et nostro poeta, cuius *Πυτίνη* laudatur. Est vero hic locus corruptissimus et hactenus a viris doctis saepe frustra tentatus, ita ut certiorem huius difficultatis expediendae rationem admodum desiderem. Nostrae

fabulae oeconomiam, quam Graeci vocant, singulis lineis descriptam servavit nobis Scholiasta ad Aristophanis Equites v. 399.:

Finxit Comoediam seu Musam comicam uxorem suam esse, quae divortium facere atque propter inertiam iniuriamque sibi illatam litem ipsi intendere coepit. Amici Cratini adveniunt causaque, cur poetae tantopere irascatur, audita, rogant eam, ne temere rem tam gravem aggrediatur, atque pollicentur denique sese enisuros esse pro viribus, ut amicitiam cum marito tam diu servatam in pristinum statum restituerent. Illa autem conqueritur, quod Cratinus Comoedia plane relicta nullas fabulas amplius doceret, neque componeret (*τοῦ ἀγωνίζεσθαι ἀποστὰς καὶ συγγράφειν*) sed Ebrietati vacaret. Quibus auditis adeunt amici Cratinum eique persuadere student, ut ad Comoediam revertatur et virum sese praestet. Sicuti vero Sophocles aliquando insaniae accusatus praelecta coram iudicibus illustri fabula Oedipi Colonei omnes erroris delicti convicit, omnique mota hactenus suspicione liberatus est, ita quoque Cratinus, ut mentis compotem se praestaret et comoediarum scribendarum studium viribus integris florere, et firmo robore multum valere ostenderet, multos sales et ingeniosa dicteria iambis prolata in suam defensionem apud suos accusatores offudit. His iocis prolatis pergit: *ἀλλ' ἐπαναστρέψαι βούλομαι εἰς τὸν λόγον πρότερον ἐκεῖνος πρὸς ἑτέραν γυναῖκα ἔχων τὸν νοῦν, κακὰς εἴποι πρὸς ἑτέραν, ἄλλ' ἅμα μὲν τὸ γῆρας, ἅμα δέ μοι δοκεῖ οὐδέποτ' αὐτοῦ πρότερον, καὶ τὰ ἑξῆς.* Haec verba nuper Dindorfius primum litteris paulo distinctis exprimi iussit; verba ipsa et quaestionem, quomodo versibus integris adaptanda sint, nemo, quantum scio, tetigit. Rectam huius corrupti fragmenti interpretationem, unde genuina

interpunctio versuumque distributio proficiscitur, benigne mecum communicavit Cl. Welckerus, praeceptor mihi summe colendus. Priores versus haud dubie sic disponendi sunt:

> *'Αλλ' ἐπαναστρέψαι βούλομαι εἰς τὸν λόγον*
> *Πρότερον· 'Εκεῖνος πρὸς ἑτέραν γυναῖκ'* (sc, *τὴν Μέθην*) *ἔχων*
> *τὸν νοῦν, κακ' εἶπε πρὸς ἑτέραν* (sc. *τὴν Κωμῳδίαν*) ***

Λόγος pertinet ad accusationem (*δίκην*) ab uxore poetae illatam, ad quam accuratius perpendendam et omnino refutandam finita defensione redit Cratinus. Accusationis formula incipit versu secundo: *'Εκεῖνος* cet.; post *πρὸς ἑτέραν* vel alius locus incipit vel propter Scholiastae negligentiam in loco describendo lacuna orta est, quae ex metro claudicante statim percipitur. Sensus hic est: Ille animum intendit ad aliam uxorem et in priorem maledicta exercet; praeterea aetate est admodum provectus et tali, qualem se antea gerebat, parum similis. Abrupta est oratio in fine ideoque quaedam mente supplenda sunt. Cratinus crimine haud dubie liberatur et hoc temperamento, ut videtur, inter illum comoediaeque Musam concordia revocatur et restituitur. Ad divortium ipsum, quod fecit cum Comoedia, spectant haec verba:

> *Γυνὴ δ' ἐκείνου πρότερον ἦν, νῦν δ' οὐκέτι.*

Schol. ad Hom. Il. ε. v. 533. ed. Villoison. Perperam legi *παρὰ Κράτητι ἐν Πυτίνῃ* intelligitur ex Scholiasta ad Homeri Odyss. ϑ. 186. ed. Buttm., qui eadem exhibet et nostri poetae nomen adscribit. In priori parte fabulae videtur Cratinus suam bibendi facultatem palam ostendisse, propinat aliis (cf. Athen. X. p. 426. B.) atque alios mores, quibus in compotationibus Athenienses uti

solebant, exercet. Huic studio, quomodo uxor finem imponat, meditatur:

— — — πῶς τις αὐτὸν, πῶς τις ἂν
Ἀπὸ τοῦ πότου παύσειε, τοῦ λίαν πότου; —
Ἐγ᾽ ᾧδα· συντρίψω γὰρ αὐτοῦ τοὺς χόας
καὶ τοὺς καδίσκους συγκεραυνώσω σποδῶν
καὶ τἄλλα πάντ᾽ ἀγγεῖα τὰ περὶ τὸν πότον
Κοὐδ᾽ ὀξύβαφον οἰνηρὸν ἔτι κεκτήσεται.

In primo versu et secundo Porsonum (Advers. 129.) secutus sum, qui ex MS. Veneto hanc lectionem perturbatam et corruptam bene restituit.

Ad eandem Cratini uxorem de poculis, quorum varia nomina indicant fragmenta (Poll. VI. 21. 23. 26. Zenob. cent. V. 7.), marito removendis cogitantem, refero versus a Scholiasta ad Sophoclis Aiacem 105 et Suida servatos:

Ὄψει γὰρ αὐτὴν ἐκτὸς οὐ πολλῷ χρόνῳ
Παρὰ τοῖσι δεσμώτῃσι καταπιττουμένην.

Sic facili coniectura versus legendos monuit cl. Hemsterhusius ad Aristophanis Plutum v. 1094. p. 413.

Nubes Aristophanis in argumento ad hanc fabulam quinto nominantur δρᾶμα τῆς ὅλης ποιήσεως κάλλιστον; ipse Aristophanes hanc comoediam τὴν σοφωτάτην τῶν ἐμῶν κωμῳδίων vocat (Nub. 518.) et nobis quidem nunc admodum placent et egregiae videntur. Quanti igitur existemus oportet Pytinen Cratini, quae illas Nubes simulque Amipsiae Connum longe superavit.

Praeter Aristophanem rei publicae quoque principes tanta dicacitate amarulenta persecutus est, ut ne ipsi Pericli, qui Plutarcho teste multos reges et tyrannos potentia superavit, parceret. Cuius rei exempla quaedam in medium conferre eo magis operae pretium erit, quo praeclarius et iustius ille, cum imperium civitatis sibi vindicasset et retinuisset, dominatum administravit

atque suggestum ascensurus praecari solebat, ne quod sibi verbum in mentem veniret, quo populus offenderetur. Quintil. XII. c. 9. Aelian. Var. Hist. IV. c. 10. Raro et minus acerbe apud Aristophanem traducitur et eo minori admiratione commovemur in considerando impetu, quandoquidem Pericles, Cratino artem comicam pro viribus exercente, summum rerum principatum tenebat, Aristophane vero comoedias in scenam proferente, mortuus erat, ideoque non verendum erat, ne eius audaciae frena iniiceret. Cratinus Periclem ipsum vocat *κεφαληγερέταν* his verbis apud Plutarchum in vita Pericl. c. 53.

Στάσις δὲ καὶ πρεσβυγένης Χρόνος ἀλλήλοισιν
μιγέντε μέγιστον τίκτετον τύραννον
ὃν δὴ κεφαληγερέταν θεοὶ καλέουσιν,

alludens ad notum illud epitheton Homericum Iovis, qui *νεφεληγερέτα* vocatur, quatenus nubes contrahere et tempestatibus praeesse credebatur. Eodem modo laudandus est alius Cratini versus in Periclem:

Μόλ', ὦ Ζεῦ ξένιε καὶ μακάριε.

Hunc locum excipiat tertius ex eadem vita Periclis a Plutarcho descripta c. 13., in qua Cratini versus ex fabula, quae *Θρᾶτται* inscribitur, laudantur:

Ὁ σχινοκέφαλος Ζεὺς ὅδε προσέρχεται
Περικλέης, τῴδεῖον ἐπὶ τοῦ κρανίου
Ἔχων, ἐπειδὴ τοὔστρακον παροίχεται.

Primum versum servavit quoque Pollux II. 43., ubi olim *ἐχινοκέφαλος* perperam legebatur.

Locus primus, si accuratius consideratur, colorem habet illorum poematum, quae theogonias vocant, in quibus irridendis Cratinus eo processit, ut Periclem Iovis nomine designatum ad rerum primordia referret et a primis originibus, quasi ab archetypo, repeteret. Lepidissime commemorat *μίξιν Στάσεως καὶ Χρόνου*, qua

certas rationes, quibus factum est, ut Pericles summam rerum Atheniensium potestatem assequeretur, in auditorum animis movit vel in iis, quae temporum iniuria perierunt, copiosius indicavit et comice demonstravit. Haec tamen animo tantum percipere et suspicari non certis argumentis nunc quidem possumus demonstrare.

Pericles haud informosus haberi poterat ex sententia veterum, si corporis speciem spectamus, capite autem erat oblongo et ceteris corporis partibus parum respondente (*προμήκης ἦν τὴν κεφαλὴν καὶ ἀσύμμετρος.* Plut. Pericl. c. 3.), unde factum est, ut, cum videlicet sculptores magnum illum virum in singulari parte paulo deformiorem ludibrio habere nollent, omnes eius statuae galeatae inveniantur. Quibus vero abstinuerunt statuarii, his comici poetae in primis Cratinus et Eupolis eo saepius usi, materiam nacti sunt satis largam, qua principem in re publica mordacissimis sententiis proscinderent. Apud Homerum epitheto perpetuo *νεφεληγερέτα* ornatur Iuppiter (*ὃς τὰς νεφέλας ἀγείρει*); simillimum et ad Homericum illud comice factum est cognomen *κεφαληγερέτα* a Cratino relatum ad Periclem multos quasi gibbos*) in capite suo congregantem, qui praeterea, ut tota imago ad Homericam Iovis descriptionem prorsus accederet, *Ὀλύμπιος* ab Eupolide (Schol. ad Aristoph. Acharn. 529.) et a nostro *μέγιστος τύραννος* vocatus est, cum nobis in mentem venit illud Homericum:

— — — *τοῦ γὰρ κράτος ἐστὶ μέγιστον.*

Il. *β.* 118., *ι.* 25., *ω.* 293. Quae verba si usurpasset comicus, lepide movisset de Periclis capite sententiam hanc: cuius caput (*κρὰς, ατὸς*) est maximum.

*) Vocabulum gibbus de tumore carneo in qualibet corporis parte usurpari docet Iuvenalis VI. 109. „Mediis in naribus ingens gibbus.

Vocabulum *μακάριος*, quo Cratinus in secundo fragmento supra apposito Periclem alloquitur, ad deos refertur, veluti ad Dionysum (cf. Cratini fragm. ex Horis ap. Suid. v. *Παιδικά*), ad vita defunctos, quatenus illi apud deos habitabant, et interdum ad heroas. Theocr. Id. XIII. 72. Potest igitur Iuppiter quoque *μακάριος* nominari et propterea hoc cognomen ipsum ad Periclem referri, cum nihil obstaret, quominus hic ob fortunae gradum, quem erat assecutus, beatus utique praedicaretur. Iam accedit tertia quaedam ratio, qua Cratinus haud dubie permotus est, ut hanc vocem usurparet; alluditur scilicet ad caput deforme. Ex interpretatione Dacerii aliorumque virorum doctorum *μακάριος* quasi compositum est ex particula augmentativa *μα* et *κάρα* caput; itaque *μακάριος* hoc loco significat *beatum capitonem*. Hunc lusum in vocabulo *μακάριος* agnoscunt passim vetustissimae editiones; pro *μακάριε* omnes H. Stephani Codd. lectionem *κάριε* exhibent, atque Anonymus dedit *μακροκάρηνε*, non codicum auctoritate, ut videtur, sed sua opinione nisus. Simili modo Eupolis Periclem vocat *κεφάλαιον* (Plutarch. Pericl. c. 3.).

Deinde Teleclides, Atheniensis, veteris comoediae poeta, Periclem in rebus publicis administrandis discunctantem varia in animo ancipiti cura volventem modo ait sedere in civitate gravato capite temulentum (*καρηβαροῦντα*) modo ex capite *θόρυβον πολὺν*, magnum excitare tumultum (Plut. in Pericl. c. 3.) Verba haec sunt: *Τελεκλείδης δὲ, ποτὲ μὲν ὑπὸ τῶν πραγμάτων ἠπορημένον καθῆσθαί φησιν αὐτὸν ἐν τῇ πόλει καρηβαροῦντα, ποτὲ δὲ μόνον ἐκ κεφαλῆς ἑνδεκακλίνου θόρυβον πολὺν ἐξανατέλλειν.* In hac Plutarchi narratione duos diversos locos, inter se non cohaerentes, ex una eademque fabula aut diversis desumtos latere particulis *ποτὲ μὲν* — *ποτὲ δὲ* certissime indicatur. Posterior pars ita videtur restituenda esse versu anapaestico tetrametro catalectico:

Μόνος ἐκ κεφαλῆς ἑνδεκακλίνου θόρυβον πολὺν ἐξανατέλλει,

prior tantopere mixta est Plutarchi verbis et ad eius sententiae constructionem adaptata, ut vix integra Cratini verba eaque iusto ordine disposita tradi posse videantur. *Καρηβαριᾶν* et inde *καρηβαρεῖν τὴν κεφαλὴν* (quod ponitur perinde ac si *κεφαλῆς* significatio verbo illo non includeretur), ab Aristophane quoque usurpatum ap. Polluc. II. 41. dicitur de capitis gravedine quavis ex causa proveniente, hoc autem loco de Periclis capite multis minoribus capitibus, quae *σχῖνοι* vocantur. In imagine Iovis coloribus Homericis depingenda et ad Periclem referenda miro quodam et satis exquisito modo operam navarunt comici Graeci, neque solum Periclem Iovem appellarunt addito Homerico epitheto *Ὀλύμπιος* (Il. *α*. 353. 589. *β*, 309. *δ*, 160. *ζ*, 282.), sed caput deforme ad Olympum, gibbos ad Olympi cacumina transtulerunt, ita ut ex hoc illud cognomen natum esse videatur. Homerus multa cacumina Olympi agnoscit in his:

Ἀκροτάτῃ κορυφῇ πολυδειράδος Οὐλύμποιο

Il. *α*, 499. *ϑ*, 3,

Vocabulum *κορυφὴ* haud dubie potissimum respexerant comici, cum non solum montium cacumina sed etiam capitis partem inter sinciput et occiput mediam et summam, quae proprie *στεφάνη* appellatur, significet; alii eam partem capitis intellexerunt, in qua capilli partim ad dextram partim ad sinistram invertuntur, ut *κορυφὴ* sit illa linea, quae capillos in duas partes distribuit; itaque grammatici *κορυφὴν* dicunt esse *τὸ ἐν μέσῳ, καθ' ὃ δὴ μάλιστα εἱλοῦνται αἱ τριχὲς*, ut vertex a vertendo. Quot capita vero habere credebatur Pericles, tot *κορυφαί* (cf. Interpretes ad Pulluc. II. 43.).

Πολυδειράς est id quod *πολυκάρηνος*, quod cohaeret cum simili vocabulo *ὑψικάρηνος*, in Hymno ad Venerem v. 265. de quercubus usurpato, ut intelligitur ex Iliade *α*, 44.

Βῆ δὲ κατ' Οὐλύμποιο καρήνων —

cf. *β*, 167. *δ*, 74. *η*, 19. *χ*, 187. *ω*, 121.

Huc spectat sententia Teleclidis, qui *κεφαλὴν* Periclis *ἐνδεκάκλινον* vocat, quod proprie est undecim lectis instructum, hoc loco caput significat undecies inclinatum. In Olympo habitant dii apud Homerum in primis *Ζεὺς* modo *ὑψιβρεμέτης* (Odyss. *ε*, 4. Il. *α*, 354), modo *ἐριβρεμέτης* (Il. *ν*, 621.), et *ἀστεροπητής*, (Il. *α*, 609.; *β*, 353.; *ρ*, 595), qui coeli fragorem edit et fulgura iaculatur in terram; noster quoque Iuppiter Atheniensis in suo Olympo interdum fragorem excitabat, quem egregie poetae comici vocant *θόρυβον*, tumultuosum clamorem a *θορυβεῖν*, cum clamore tumultuari, vocabulo e vulgari sermone ducto (Aristoph. Acharn. 545 et Schol. ad h. l.). Aristophanes cum in Acharnensibus 529. furtum meretricum exposuisset, hoc modo pergit:

Ἐντεῦθεν ὀργῇ Περικλέης οὑλύμπιος
ἤστραπτεν, ἐβρόντα, ξυνεκύκα τὴν Ἑλλάδα
ἐτίθει νόμους, ὥσπερ σκολιὰ γεγραμμένους,
ὡς χρὴ Μεγαρέας μήτε γῇ, μήτ' ἐν ἀγορᾷ,
μήτ' ἐν θαλάττῃ, μήτ' ἐν ἠπείρῳ μένειν.

Denique ad haec omnia confirmanda commemoremus iterum epitheton *σχινοκέφαλος* a Cratino ad Periclem relatum (Plut. Pericl. c. 13.), de quo fragmentum integrum supra adscripsimus. Plutarchus in vita Periclis c. 3. *τὴν σκίλλαν* dicit *σχῖνον* quoque nominari; *σκίλλα* quid sit partim notum est, partim discere possumus ex Theophrasti Historia plantar. I. 7. et 10. Scilicet cum scillae rotundam, ideoque capitis formam habeant, optimeque cum surculis illis, quibus Periclis caput diffundi

et luxuriare dicebatur, comparari possint, lepidissime finxit hoc vocabulum Cratinus, caput Periclis irrisurus. Quantopere vero sibi placuerit in hac imagine amplificanda, reliqua satis demonstrant. In sequentibus (Plut. Pericl. c. 13.) dicit Periclem iam portasse Odeum in capite (*ἐπὶ τοῦ κρανίου — κράνος —*), cum ipsum exstrui iuberet, odeum igitur ad normam capitis ipsius Periclis aedificatum esse. Fuerunt enim Odei interiores partes multis sedibus (ut supra *ἐνδεκάκλινον*) et columnis ornatae; toti aedificio extrinsecus tectum impositum erat aculmine unico, quod habuit, pronum inde et deflexum (*περικλινὲς καὶ κάταντες ἐκ μιᾶς κορυφῆς*), quae omnia suadente et duce Pericle suscepta sunt. Sedes et columnas ad gibbos, tectum ad galeam Periclis pertinere et ex hac ratione fragmentum Cratini interpretandum esse, unusquisque me non monente, intelligit.

Tali igitur modo, qui nobis quidem fere incredibilis videtur, legimus principem rei publicae Atheniensium ludibrio fuisse comoediae antiquae poetis, potissimum vero Cratino, qui non contentus, eum, quocunque modo cum Iove Olympio Homeri comice comparatum derisisse, uxorem adiecit ad eundem calcem comparatam. Aspasiam Periclis uxorem eamque Iunonem vocat ornatam certis epithetis ex Homero ridicule detorsis sicut versus Cratini demonstrant apud Plutarchum in Pericle c. 24:

— — — *Ἥραν τε οἱ Ἀσπασίαν τίκτει*
καὶ καταπυγοσύνην παλλακὴν κυνώπιδα.

Homerus Iunoni epitheton perpetuum tribuit *βοῶπις* et *πότνια*, quae coniuncta saepissime leguntur, ut in his:

τὸν δ' ἠμείβετ' ἔπειτα βοῶπις πότνια Ἥρη.

cf. Il. *α*, 551. *ϑ*, 471. et sic centies.

Quomodo Cratinus epitheta intellexerit, accuratius videamus et quidem, quantum fieri potest, ex Homero, quem utique respexit. *Βοῶπις* est epitheton feminarum

maiestate quadam formae conspicuarum; summae igitur deae, Iunoni tribuitur. Voci *κυνῶπις*, quae saepius ad feminas refertur, quam ad viros, vituperium inest haustum ex moribus personae alicuius corruptis. Taceo illos locos poetarum tragicorum; quales sunt apud Euripidem in Orest. 260. Electr. 1250. 1342. cet. Apud Homerum Helena, se ipsa, quod se rapi passa sit, exprobrat his verbis:

Δαὴρ αὖτ' ἐμὸν ἔσκε κυνώπιδος, εἴποτ' ἔην γε.

Il. γ, 180.

porro Il. σ. 396. in Iunonem ipsam hoc vocabulo acerbe invehitur Vulcanus:

ἥ μ' ἐσάωσ', ὅτε μ' ἄλγος ἀφίκετο, τῆλε πεσόντα,
μητρὸς ἐμῆς ἰότητι κυνώπιδος, ἥ μ' ἐθέλησεν
κρύψαι, χωλὸν ἐόντα —

tum in Odyss. ϑ, 319. Vulcanus coniugem suam Venerem adulteram vocat et cum Marte rem habentem:

Ὅσσα οἱ ἐγγυάλιξα κυνώπιδος εἵνεκα κούρης.

deinde in Odyss. λ, 423. dicitur de Clytemnestra Agamemnonis crudeli uxore:

— ἡ δὲ κυνῶπις
νοσφίσατ', οὐδέ μοι ἔτλη, ἰόντι περ εἰς Ἀΐδαο.

Similes loci sunt in Odyss. δ, 145. Il. α, 159. cet.

Iuno apud Homerum *πότνια* vocatur, ἡ *δέσποινα*, ἡ *τιμία*, domina summe reverenda; Aspasia nominata *παλλακή*, addito adiectivo *καταπυγοσύνη* magnopere laeditur. Nam primaria vis vocabuli *παλλακή* nihil habet mali ominis, neque videtur nostro loco deteriori significatione de pellice usurpari. Vox *παλλακή* cum alia *πάλλαξ* arctissime cohaerens idem significat, quod *πάλλας*, virgo; *παλλάδες* vocantur sacerdotes (Minervae) et quidem virgines (Strab. XVII. 601.); postea cum virginibus raptis seu servabus heroes abuterentur orta est significatio, quam Francogalli vocabulo: „fille“ in bonam et malam

partem usurpant. Adiectivum *καταπυγοσύνη* usurpatum esse a Cratino in fabula *Δραπέτιδες* inscripta, fragmentum apud Apostolium (Proverb. Cent. VII. 77. *Κατὰ μυὸς ὄλεθρον*) et Aelianum (De natur. animal. XII. c. 10.) probat, ubi haec: *λέγουσι δὲ αὐτοὺς* (sc. *τοὺς μῦς*) *λαγνιστάτους εἶναι, καὶ μαρτυρεῖ Κρατῖνος ἐν Δραπέτισιν·*

Φέρε νῦν ἐξ αἰθρίας καταπυγοσύνην μυὸς ἀστράψω
Ξενοφῶντος —

Καταπυγῶν. Κατασελγαίνων. Suid. Cf. Hesych. v. *Καταπυγοσύνη* et *Καταπυγῆς*. *Καταπύγων* apud Aristophanem explicatur vocabulis *κίναιδος, ἀσελγής, μαλακός*. Cf. Schol. ad Aristoph. Nub. 529. 908. 1019. Lysist. 777.

Apud Homerum est *Iuppiter: Ζεύς, Κρονίδης, Ὀλύμπιος, νεφεληγερέτης, μακάριος, ὑψιβρεμέτης, ἀστεροπητής.* — *Ὄλυμπος πολυδειράς, πολυκάρηνος.*

Iuno: Βοῶπις, πότνια, Ἥρη.

Apud comicos Graecos *Pericles: Ζεύς, Χρονίδης, Ὀλύμπιος (σχινοκέφαλος, ἐνδεκάκλινος), κεφαληγερέτα, μακάριος, ξένιος, βροντῶν, θορυβῶν, ἀστράπτων.* — *Κεφαλή, ἐνδεκάκλινος, κεφαλαῖος.*

Aspasia: Κυνῶπις, παλλακή, καταπυγοσύνη, Ἥρη.

Aspasia tantopere celebrata est a veteribus, ut non solum in numerum filiarum Suadae relata sit sed etiam philosophorum choro adnumerata (Lucian in Eunuch. §. 7. T. V. p. 209. ed. Bip.), ipsum Socratem *τὰ πολιτικὰ* docuisse dicatur (Harpocrat. v. *Ἀσπασία*); patriam habuit Miletum (Plut. Pericl. c. 4.), urbem, si Aristophani fides tribuenda est, deterrimis flagitiis inquinatissimam (Lysistr. 108. et Schol. ad h. l.). In prima iuventute Athenas venisse videtur, ubi gloriae fastigium summum assecuta est, cum statim nota illa consuetudine uteretur cum Pericle, a quo in domum familiariter recepta, illam rerum politicarum cognitionem, quae ipsi tribuitur, et qua haud dubie imbuta fuit, excoluit, ut

mox in Atheniensium animos opinio, penes illam esse maximam in rebus publicis administrandis potestatem, eo facilius errepere posset, quo magis poetae comici ipsa huius rei cavillatione fontem invenisse sibi videbantur, ex quo satis largam materiam Iovem Olympium et suam Iunonem pro ludibrio habendi depromserunt. Bellum quod Athenienses poscentibus Milesiis insulae Samo intulerunt (Ol. 84. 4.), Aspasia suadente ortum esse existimant nonnulli scriptores (Harpocr. Ἀσπασία). Quamvis non mirandum foret, si Aspasia, Mileti orta, ab amico auxilium implorasset popularibus ferendum ideoque Pericles ex amicae singulari gratia populo persuasisset hoc bellum esse ineundum, tamen Atheniensium animis hoc tempore maxima pugnandi cupiditate accensis non opus erat Aspasiae secretis admonitionibus. Cf. Plutarch. Pericl. c. 25. et 26.

Comici parum contenti minorum expeditionum causam ad Aspasiam retulisse alias et maiores cavillationes in eam accumularunt et denique, quod summum est audaciae conamen, funestissimi belli Peloponnesiaci fontem in Aspasiae animo invenisse sibi visi sunt, eiusmodi vero coloribus totam rem depingentes et augentes, ut deteriorem eius vitae conditionem ostenderent Periclemque familiaritate eius utentem omni, ut nobis quidem videtur, auctoritate privarent. In his vero perspicuus est Periclis egregius character, in his latet iudicium, quod de comoedia tulerunt Athenienses, qui propter comicorum sales risisse contenti, nullum, quem aliunde bonum fortemque compertum habuere, conviciis autem et probris in scena laceratum viderunt, culpae reum existimabant poenamque ab eo expetebant. Aristophanes in Acharnensibus 524. demonstrat bellum Peloponnesiacum a Pericle ob Aspasiae amorem et ob surreptas ei a Megarensibus famulas esse suscitatum:

Πόρνην δὲ Σιμαίθαν ἰόντες Μεγάραδε
νεανίαι κλέπτουσι μεθυσοκότταβοι.
Κᾆθ' οἱ Μεγαρεῖς ὀδύναις πεφυσιγγωνένοι
ἀντεξέκλεψαν Ἀσπασίας πόρνα δύο·
κἀντεῦθεν ἀρχὴ τοῦ πολέμου κατεῤῥάγη
Ἕλλησι πᾶσιν ἐκ τριῶν λαικαστριῶν.

Cf. Athen. XIII. p. 570. A. Rem eandem confirmarunt Duris Samius et Theophrastus in libro quarto Politicorum (Cf. Harpocrationem v. *Ἀσπασία*), quibus vero argumentis hi usi sint, nescimus; nam Aristophani, cuius tantum de hac re integrum locum ex antiquioribus servatum habemus, remoto cavillandi studio, non multam fidem tribuendam esse, manifestum est. Aspasiam iniuriam sibi illatam impunitam certe non sinebat atque credibile est, decretum aliquod Atheniensium contra Megarenses minus gratum inde ortum esse; poetis vero, cum cives omnino removere vellent a bellis suscipiendis omnesque res leviores captarent, ut ex iis haurirent aliquid, quod cohaereret quodammodo cum istius belli initiis, exoptatissimum erat et maxime idoneum causas proferre tam futiles et inanes atque hac fama velut materia uti posse in fabularum oeconomia adumbranda. Eupolis Helenae nomen tribuens Aspasiae haud dubie respexit hanc narrationem, secundum quam Periclis amica, sicut illa Paridis, Menelai uxor, belli funestissimi causam praebuit; alius comicus (haud dubie Cratinus in Omphale), novam Omphalem eam appellabat, inflexibilem Periclis animum comparans cum Alcide, qui in omnibus certaminibus insuperabilis, telis, quae Amor in pectora eius iaculabatur, omnino victus eo pervenit, ut per aliquod tempus servum ageret apud Omphalen, Iardani, Lydiae regis filiam, atque luteo socco, calceamento, cuius usus, cum apud viros plerumque ad venustatem et ambitiose quaesitam elegantiam spectaret, mulieribus

maxime adamatus, indutus, delicias ac libidines, proprie ab ipso alienissimas, faciens dominae placere quocunque modo studebat. Senec. Hippolyt. v. 322. Similem ob causam Deianira vocata est et τύραννος a Cratino, quae summum imperium sibi quasi vindicarit. Cf. Schol. ad Platon. Menex p. 139.

Periclem filios quosdam spurios habuisse multis veterum testimoniis satis constat, eumque habuisse unum ex Aspasia suspicatur Plutarchus (in Pericle c. 24.) Eupolim laudans, in cuius Demis quum Pericles interrogat:

ὁ νόθος δέ μοι ζῇ;

Pyronides respondet:

καὶ πάλαι γ' ἂν ἦν ἀνὴρ
εἰ μὴ τὸ τῆς πόρνης ὑπωῤῥώδει κακόν.

Cf. Valckenar. in Diatr. Eurip. p. 221. Lectio codd. firmata. Hunc nothum quoque Periclem nominatum fuisse testatur Harpocratio v. Ἀσπασία. Duo vero filii genuini nominantur Paralus et Xanthippus (Aelian. Var. Hist. IV. 10.), qui tristis illius pestilentiae morbo perierunt. Cum vero Pericles legem pertulisset, ne alicui ad rem publicam gubernandam accedere permitteretur, nisi qui utroque parente cive natus esset (ἐξ ἀφοῖν ὑπάρχων ἀστῶν), factum est, ut huius legis severior conditio atque divina ultio legis suasorem maxime premeret, qui amissis filiis legitimis suum ipsius filium, quandoquidem nothus erat, imperandi iure privavit (Aelian. Var. Hist. VI. c. 24. Schol. ad Platon. Menex. p. 139.). Talem rem habebat Pericles cum Aspasia, pro qua publice causam dicens plus lacrymarum, quam quo tempore ipse vitae fortunarumque periculum adierit, profudisse dicitur. Porro Athenaeus XIII. p. 580, ubi de Aspasia aliisque Periclis amasiis disputat, narrat Periclem, quum Cimon Elpinicae sorori suae matrimonio parum legitimo iunctus fuisset illaque Calliae esset elocata, cum ipse in exilium esset

pulsus, pro reditus ipsius pretio coeundi cum Elpinice accepisse potestatem, cuius rei mentionem haud dubie facit Eupolis his verbis:

κακὸς μὲν οὐκ ἦν (sc. ὁ Κίμων) φιλοπότης δὲ κἀμελὴς
κἀνίοτ' ἀπεκοιμᾶτ' ἂν ἐν Λακεδαίμονι
κἂν Ἐλπινίκην τήνδε καταλιπὼν μόνην.

Plura vide apud Plutarchum in Pericle c. 10.

Talia principum scelera turpissima comici poetae partim excogitarunt, partim auxerunt et in scena coram populo exagitarunt. Sufficiant, quae attulimus, ad ipsam rem declarandam, plura enim huius argumenti fragmenta non videntur servata esse. Magnopere dolendum est deperdita esse Herodici Cratetii libros *κωμῳδουμένων*, quorum sextus laudatur ab Athenaeo XIII. 581. A. et 591. C., quandoquidem inde de iis, qui a comicis traducti sunt, accuratius haud dubie perspiceremus rationem.

Iam breviter, quantum fieri potest ex fragmentis, perlustremus nomina eorum, quos Cratinus passim perstrinxerit vel sale suo notaverit.

Ex versibus Cratini in Periclem scriptis, qui non ad hoc, quod modo exposuimus, argumentum spectant, tales servantur apud Plutarch. De gloria Atheniens. c. 8.

λόγοισι γὰρ αὐτὸν προάγει Περικλέης
ἔργοισι δ' οὐδὲ κινεῖ —

spectantes ad murum longum, de quo aedificando refert Socrates se audiisse suadentem Periclem, Callicratem vero eum faciendum suscepisse. Mordet scilicet Cratinus hoc opus, quod segniter absolveretur.

Boetoios illos in crasso aëre natos vocat Cratinus *συοβοιωτικὸν πεζοφόρον γένος ἀνδρῶν.* Schol. ad Pindar. Ol. VI. 133. p. 69. ed. Oxon. cf. Polluc. VII. 88.

De Solonis legibus Cratini tempore neglectis notanda est haec sententia:

Πρὸς τοῦ Σόλωνος καὶ Δράκοντος, οἷσι νῦν
φρύγουσιν ἤδη τὰς καχρυς ταῖς κύρβεσιν.

Alii legunt *κάγχρυς*, quod magis vulgare videtur. *Κάχρυς* melius quadrat in versum et probam satis auctoritatem habet; simili modo legitur apud Strabonem XV. p. 1063. *φρύγεσθαι καθάπερ ἐν ἴπνῳ τὰς κάχρυς.* Leges Solonis in centum annos sancitae in tabulas quadratas ligneas relatae sunt, quas *ἄξονας* vocant, thecis inclusas aliquanto longioribus quam largioribus, in quibus vertebantur, quamquam Plutarchi aetate tenues exstiterunt reliquiae in Prytaneo. Has *κύρβεις* vocatas esse testatur Aristoteles. Cratinus vero dicit suo tempore eas fuisse nihili aestimatas, ita ut ad torrenda legumina iis tantum utatur populus. Plutarch. in Solone c. 25. Schol. ad Aristoph. Nubes 447. et Hermanni notam. Porson. Advers. 204.

Eiusdem Solonis mentionem facit Cratinus in Chironibus inducens eum haec dicentem:

Οἰκῶ δὲ νῆσον, ὡς μὲν ἀνθρώπων λόγος,
ἐσπαρμένος κατὰ πᾶσαν Αἴαντος πόλιν.

Diog. Laert. I. 62. —

De Clisthene in Aristophanis Nubibus 354. propter impudicos mores traducto, poeta noster ait in Pytine:

Ληρεῖς ἔχων· γελοῖος ἔσται Κλεισθένης κυβεύων.

Vide Schol. ad Aristoph. Nubes 354. ibique Hermannum; idem locus legitur apud Suidam v. *Κλεισθένους ἀκρατέστερος* a Kustero non accurate editus. —

Connas, tibicen, cum in sua arte esset praestantissimus, in summa tamen paupertate vivebat, ita ut praeter corollas, quas victor in certaminibus musicis saepe tulerat, nihil omnino haberet. In eum hos versus fecit Cratinus:

Ἔσθιε καὶ σῇ γαστρὶ δίδου χάριν, ὄφρα σε λιμὸς
ἐχθαίρῃ, Κοννᾶς δὲ πολυστέφανος νικήσει.

Forsan legendum est ἐνίκησε. Cf. Schol. ad Aristoph. Eq. 531. Proverbium inde ortum est monente Scoliasta Στέφανον μὲν ἔχων, δίψει δ' ἀπολωλώς. Sicut hoc:

Δελφὸς ἀνὴρ στέφανον μὲν ἔχων, δίψει δ' ἀπολωλώς.

et fere eodem modo Aristoph. Eq. 531. Suid. *Κοννᾶς.*

Ὥσπερ Κοννᾶς στέφανον μὲν ἔχων αὖον, δίψει δ' ἀπολωλώς.

Cleomachum pravum poetam Cratinus perstrinxit in Bubulcis ob insulsa poemata his verbis:

Ὃς οὐκ ἔδωκ' αἰτοῦντι Σοφοκλέει χόρον,
τῷ Κλεομάχῳ δ', ὃν οὐκ ἂν ἠξίουν ἐγὼ
ἐμοὶ διδάσκειν οὐδ' ἂν εἰς Ἀδώνια.

Legitur hoc fragmentum apud Athenaeum XIV. p. 638. F. In primo versu facilem emendationem, qua metri rationi satisfit, recepi e Meinekii Cur. crit. p. 70., ubi Σοφοκλέει legitur pro vulgari Σοφοκλεῖ.

In Horis de eodem Cratinus haec:

— — — ἴτω δὲ καὶ τραγῳδίας
ὁ Κλεόμαχος διδάσκαλος, παρατιλτριῶν
ἔχων χορὸν, Λυδιστὶ τιλλουσῶν μέλη
πονηρά. —

De huius loci vera sententia accurate disputarunt interpretes ad Athenaeum XIV. p. 638. F.

Similem ob causam Cratinus in Mollibus Genesippum ludicrorum carminum et hilaris Musae poetam notat apud eundem Athenaeum XIV. p. 638. F. Hunc poetam scilicet invenisse moechis nocturna carmina, quibus mulierculas provocarent, atque musicam partim ad mollitiem et dulcedinem depravasse et enervasse, partim ad deteriores actiones usurpasse aliorum quoque fragmentis potest confirmari.

Praeter hos Cratinus passim egit de Cleone demagogo (Schol, ad Aristoph. Eq. 404.), de Pandelete sycophanta (Suid. *Πανταλετείους γνώμας.* Schol. ad Aristoph.

Nub. 920.), de Telenico (Suid. *Τελενικῆσαι.* Phot. Lex. *Τελενικίσαι*), de Xenophane (Diog. Laert. VIII. 37. Suid. v. *Ξενοφάνης*), de Lampone Vate (Suid. *Κυβηλίσαι.* Plutarch. Sympos. VII. 8. Huius saepe mentio fit in fabula *Δραπέτιδες* inscripta, quae multas res sacras et ceremonias in scena ostendisse videtur), porro de Cercyone (Suid. *Ἀποπάτημα.* Etym. M. *Ἀπόπατος.* Hesych. v. *Ἀγεϱσικυβῆλις.* Athen. VIII. p. 344. *E.*) et Platone (Diog. Laert. III. 28.), de Polymnesto (Suid. *Πολύνηστος.* Schol. ad Aristoph. Eq. 1284.) et Ekphantide (Hephaest. Enchir. 96. 15.) multisque aliis.

In fabula, *Κλεοβουλίναι* inscripta, inducebatur Cleobulina, Cleobuli Lindii filia, *αἰνιγμάτων ἑξαμέτϱων ποιήτϱια* (Diog. Laert. I. 89.). Celebre illius aenigma de cucurbitae applicatione commemorat Aristoteles Rhetor. III. c. 1. et Plutarch. in Convivio sapientum. De illius aenigmatis uberius disputat Athenaeus X. p. 448. B., ubi consulendi sunt interpretes. Adeo illustre habebatur eius nomen, ut in Plutarchi loco a Thalete *σοφὴ*, ab aliis *πεϱιβόητος*, ab ipso patre Cleobulo *εὔμητις* diceretur. Quomodo Cratinus in hac fabula adumbranda Cleobulina usus sit, vario modo suspicari non certe exponere possumus, cum in huius fabulae fragmentis, quae supersunt, nihil insit, quod certum aliquod argumentum confirmet. Restat unum, de quo e Diogene Laertio moneamus necesse est, hanc fabulam plurali numero (*πληθυντικῶς*) inscriptam esse a Cratino; qua observatione aliquid lucis accipiunt alii fabularum Cratini indices, qui primo obtutu non levem difficultatem excitant, ut sunt *Ἀϱχίλοχοι* et *Ὀδυσσεῖς.* Cum inter comoedias, quae nobis servatae sunt apud Aristophanem, nulla exstet tali modo inscripta, probabiliter mihi videor coniicere ex indice fabularum Cratini aliarumque plurali numero inscriptarum primariam fabulae personam conspici posse,

quacum tamen aliae personae, secundarias quamvis partes agentes, arto vinculo coniunguntur, ut summum quasi praebeant fabulae argumentum. Ὀδυσσεῖς Ulyxem exhibuere primariam personam, quocum haud dubie alii heroes Homerici in itineribus terra marique iactati bonam fortunam quaesiverunt; fabulam, Κλεοβουλῖναι inscriptam, videtur Cratinus composuisse celebrem Cleobulinam aliasque mulieres philosophas eiusdem generis irrisurus, ut quasi aetatis suae certum morum et disciplinarum characterem et inclinationem in partem deteriorem vel ordinem mulierum priscam Cleobulinam affectantium morderet, comparatione, sicuti comici solebant, inter prisca tempora cum illis, quibus ipse vixit, instituta. Loci apud Pollucem X. 105. ἐν Κλεοβούλῳ (MSS. ἐν Κλεοβουλίναις), apud eundem VII. 41. ἐν Κλεοβουλίνῃ, apud Scholiastam ad Aristophanis Aves 31. ἐν Κλεοβούλοις emendandi sunt et sincera lectio ἐν Κλεοβουλίναις, quam Diogenes Laertius I. 89 Pollux X. 105. in melioribus Codd. MSS., Hephaestio Enchir. 17. 16. ed. Gaisf. Hesychius v. Αἴθης, Photius Lex. v. Σκάλοψ et Φέροικος, Zenobius Proverbior. V. 14. et Athenaeus IV, p. 171. B. tuentur, restituenda.

Simile argumentum Πυθαγορίζουσα tractasse videtur. Si comoediarum Graecarum catalogum perlustras, saepe notantur tibi huius fabulae indices, unde apparet poetas comicos magnopere delectatos esse hoc argumento idoneo sane ad sales vario modo proferendos. Laudantur Aristophanis Πυθαγόρειοι Athen. IV. p. 161.; Alexidis Πυθαγορίζουσα apud Athenaeum III. p. 122. F. Cf. Reines. Varr. Lectt. III. c, 3. et Πυθαγοριστὴς Aristophontis. Suid. Πυθαγόρης. Quum ex Cratini fabula huius nominis fragmenta ad nostram aetatem nulla pervenere, locus tamen exstat apud Diogenem Laertium VIII. 39. idemque transscriptus apud Suidam v. Ξενοφάνης, unde

Pythagoram philosophum inductum esse in scenam intelligitur; pariter perspicitur ex indice fabulae praeter philosophos mulieres philosophas notatas esse et maxime tales, quae Pythagorae disciplinam sequebantur. Haec sententia eo maiorem probabilitatis speciem nanciscitur, si accuratius perscrutamur eruditam Menagii observationem in Historia mulierum philosopharum p. 45., tot fuisse mulieres Pythagoricas, ut de iis volumen scripserit Philochorus Atheniensis (Suid. v. *Φιλόχορος*). Cum mirum possit videri tot fuisse huius disciplinae sectratices (quas collegit et in ordinem redegit Menagii diligentia l. c.), praesertim quoniam propter plurimas res arcanas, quas ut mysteria divulgare ipsis nefas habebatur, Pythagoricis silentium per quinquennium imponebatur, mulieres vero, ut plurimum sint loquaces et in custodiendis, quae prohibita sunt, imbecilliores: haud contemnenda est coniectura Menagii feminas Pythagoricas a comicis deridendas in scenam fuisse inductas.

Ταραντῖνοι Cratini. Fabulam huius nominis scripserat Alexis (Athen. p. 120. B. Poll. sect. 130.); nihil autem tribuerim coniecturae Menagii et, qui illum sequitur, Meibomii ad Diog. Laert. VIII. 37. Suspicabantur Diogenem Laertium lapsum esse et utramque fabulam (*Ταραντῖνοι* et *Πυθαγορίζουσα*), quae ab eo laudatur, cum Alexidis esset, Cratino tribuisse; ideoque locum Diogenis Laertii mutant contra omnium librorum auctoritatem, ut, quam parum probabilis sit eorum coniectura, inde iam facile intelligatur; Diogenem Laertium non scripsisse *ἀλλὰ καὶ Ἄλεξις*, quod Casaubonus coniecit, insuper Suidae codices evincunt. Hanc quoque comoediam Cratinus haud dubie scripsit philosophos irrisurus, ut partim ex indice, partim ex fragmento apud Diogenem Laertium l. c. et Suidam v. *Ξενοφάνης* servato videre licet. Primum exponitur exemplum e Xeno-

phanis elegia de animarum transmigratione Pythagorae, qui, cum aliquando offenderet in aliquem catulo verbera ingerentem, miseratus dixisse fertur: *Verberare desine, nam amici viri anima huic catulo inest, quam ex voce cognosco.* In alio philosophandi genere Cratinus eum sugillat in nostra fabula, quum dicit:

Ἔθος ἐστιν αὐτοῖς ἂν τιν' ἰδιώτην ποθὲν
λάβωσιν εἰσελθόντα διαπειρώμενον
τῆς τῶν λόγων ῥώμης, ταράττειν καὶ κυκᾷν
τοῖς ἀντιθέτοις, τοῖς πέρασι, τοῖς παρισώμασιν,
τοῖς ἀποπλάνοις, τοῖς μεγέθεσι, νουβιστικῶς.

Comicum vocabula artis Pythagoricae in rhetoricis, dialecticis, geometricis et astronomicis hoc loco recitasse, interpretes ad Diog. Laert. scite monuerunt.

Argumentum fabulae, quae *Μαλθακοί* inscribitur, ipso titulo satis indicari, fragmenta demonstrant. Nonne hominum mollium et effeminatorum mores corrupti, studium omnes nequitias aetatis more attemperatas et refictas imitandi, libidines, quibus indulgebant Athenienses, splendidus et luxuriosus in conviviis adornandis apparatus, mos deinde coronas convivales adhibendi e floribus undique desumtis et nectendis; nonne abominanda, quae ex his plerumque sequitur, in res venereas inclinatio aliaque, quae in huius comoediae reliquiis servata leguntur, nostri poetae indignationem omnino movere debebant, ut tales conatus prioris temporis simplicitati contrarios aggrederetur singulosque comico sale graviter velleret? Cf. Poll. VI. 106. Athen. XV. p. 681. A. B. E. p. 685. B. C. In eo enim singulare studium posuerunt comici, ut comparatione instituta inter prisca et sua ipsorum tempora, hoc, quod in animo erat, accuratius depingere possent. Exempla praebet Aristophanes in Nubibus, in Acharnensibus et ceteris fabulis.

Praeter Cratinum Aristophanem quoque scripsisse Ὥρας, testatur Athenaeus IX. p. 372. B. XIV. p. 653. F. Hesychius v. Δικαστικόν, Pollux VII. 13. 187. 160. alii. Quamquam ex Cratini fabula plus quam viginti fragmenta diserte laudantur, admodum difficile est, iis, quae Cl. Hemsterhusius ad Pollucem X. 76. egregie disputavit, probabilia addere. Egit itaque Cratinus in hac fabula de regionis Atticae fertilitate; quos fructus singulis anni tempestatibus producat explicuit et in hac re varie lusit, sicut fragmenta diversissimi argumenti satis clare demonstrant. Fragmentis accuratius perlustratis videor tamen mihi invenisse vestigia quaedam, unde colligi licet a Cratino depicta fuisse in hac fabula singulorum ordinum, qui Athenis florebant, artificia; itaque celeberrima Atheniensium vasa fictilia aliaeque officinae non obiter attingebantur; ideoque non solum regionis fertilitatem sed Atheniensium vitam, ut ita dicam, productivam videmus celebratam fuisse hac fabula. Idem consilium videtur Aristophanes secutus esse in comoedia eiusdem nominis (Athen. XI. p. 372. A. B. cet.); hic enim saepe in celebrandis Athenis multam operam posuit. Equit. 579. sqq.

In Archilochis Archilochum poetam, cuius versibus saepe usus est, Cratinus haud dubie induxit (Hephaest. Enchir. p. 88. 8.) et multis aliis poetis partes tribuit. Poetae vero ut Homerus, Hesiodus alii in hac fabula sophistae appellati sunt (Diog. Laert. I. 12. Clem. Alex. Strom. I. 121.) prima et propria significatione. Cf. Mitscherl. ad Horat. carm. I. 1. 29. Aristoph. Nub. 330. Eurip. Rhes. 921. ed. Matth. Pindar. Isthm. V. 36.

De argumento Pylaeae fabulae coniecturam protulit vir doctus de Valois (Mem. de l'acad. royale des inscr. et belles lettres. T. III. p. 207.), quam nuper, ut videtur, recepit Tittmannus, (Ueber den Bund der Amphiktionen p. 91. Anm. 7.).

Cratini Χείρωνες. Hanc scripturam unice veram esse, codicum auctoritas probat in multis locis (Suid. Πανδελετείους γνώμας et Ῥαδαμάνθυος ὅρκος. Hephaest. Enchir. p. 17. 2. Hesych. Αὐτοφόρτοι. Schol. ad Sophocl. Oed. Colon. 477. Phot. Lex. Οὐρανία αἴξ. Athen. XII. 553. Bekker Anecd. Gr. p. 335. 15. Poll. X. 186. cet.) et argumentum, quod haud dubie e Chironis fabula celebratissima desumtum erat. Χείρωνες in nostra comoedia commemorantur (Hephaest. Enchir. p. 17. 2.) atque vocem ὑποθῆκαι (l. c. et interpr.) ad opus, quod sub Chironis nomine circumferebatur spectare, multis veterum locis confirmatur. Accurate de hac re disputavit Cl. Heinrichius in egregia commentatione de Pherecratis dramate Χείρων ἢ Ἄγριοι *). Fabulae argumentum, quod ex fragmentis accurate erui potest, hoc loco longa disputatione enucleatius exponere, alienum est ab huius commentationis consilio. Haec igitur nunc quidem obiter disputata sunto.

Cratinum in Pluto priscae felicitatis imaginem iocosam depinxisse atque luxuriose vivendi mores descripsisse nonnulla fragmenta testantur, quorum unum hoc loco apposuisse sufficiat:

— — οἷς δὴ βασιλεὺς Κρόνος ἦν τὸ παλαιὸν,
ὅτε τοῖς ἄρτοις ἠςτραγάλικον, μᾶζαι δ' ἐν ταῖσι παλαίστραις
Αἰγιναῖαι κατεβέβληντο, δρυπετεῖς, ὀβόλοις τε κομῶσαι.

Locum hausi ex Athenaeo VI. p. 267. F.; in versibus anapaesticis scribendis secutus sum Toupium, qui magno cum acumine eos emendavit in Opusc. crit. T. II. p. 106.

*) Demonstratio et restitutio loci corrupti e Platonis Protagora. Kiliae. 1813. 4. p. 21. sqq.

Si accuratius in fabularum Cratini indices inquirimus earumque argumenta, quantum fieri potest perlustramus, collatis iis, quae poetae in dramatis satyricis usurparunt, mira quaedam inter utrumque genus dramaticum oriri videtur coniunctio; saepe enim argumentis e mythologia sumtis ita usus est poeta noster, ut neglectis suae aetatis ludibriis tantum fabulae, quam tractandam sibi elegit consilium persecutus esse perhibeatur. Iam ut iustam diiudicandi viam ingrediamur in disputatione de his duobus artis dramaticae generibus neque iusto arctius coniungendis neque ultra fines secernendis, haec momenta potissimum respicienda sunt. Et comoediae et dramati satyrico Graecorum communis est parodia, qua tamen diverso modo utuntur. Comoedia argumentum sibi parat ludicrum atque facetum in rebus fictis plurimum consistens et in imitatione deteriorum: at non in omni genere vitii sed turpitudinis (*τὸ αἰσχρὸν*), cuius pars est ridiculum. Haec sententia, quae tota fere fluxit ex Aristotelis (Poet. V. 1.) argumentatione, integrior fit addita explicatione huius ipsius philosophi, qui ridiculum ponit in errore quodam et turpitudine doloris experte, veluti statim persona ridicula turpe quid sit et contortum sine dolore. Parodia comoediae in eo consistit, ut materiae, quamcunque tractat, deorum heroumque fabulas inserat sententiasque poetarum tragicorum, quas illi serio et cum vi quadam protulerunt, ad recentiorum temporum res saepe deteriores transferat, ita tamen, ut, cum saepe in tragicorum poetarum locis nil insit, quod reprehendere possis, comoediae scriptor non utatur tragici sermonis exemplis, quia per se aliquid ridiculi continent, quam potius quod sublimioribus et deterioribus diversis igitur miro modo inter se mixtis additoque toti sententiae comici coloris temperamento, consilium suum assequi conatur. Genus dicendi enim in comoedia usur-

patum popularem continet et quotidianum, integrum vero et purum hominum sermonem; contra in tragoedia gravis, et magnifica dictio adhibetur tumida et grandiloqua (τραγικὸς λῆρος Aristoph. Ran. 1037.). Huius rei exempla sexcenties leguntur apud Aristophanem praecipue in Ranis et Avibus. Drama satyricum fabularum argumenta haurit sicuti tragoedia e mythologia et tragicae poesis sermonem ita servat, ut saepe difficillimum sit diiudicare singulos fragmentorum versus, utrum pertineant ad tragoediam an ad drama satyricum. Parodia vero in eo maxime consistit, quod satyri protervi, feroces, deformes et procaces (ὑβρισταί), tragoediae alienissimi, chorum agentes inducebantur veteribusque vel deorum vel heroum fabulis multa ridicula immiscere, seria ludicris coniungere studebant; atque poetae hoc maxime spectabant, ut tragicam sublimitatem non solum in dictione servarent, quin in illa augenda et superanda ideoque ridicula reddenda certarent. Cf. Naekium ad Choerilum p. 189. Similis argumenti videtur fuisse Busiris Cratini, in qua fabula haud dubie Herculem tuburcinantem depinxit, qui prae vorandi cupiditate faucibus, maximilla, dentibus omnibus et naso quoque sonum edit. In satyricis dramatis multae huius tituli fabulae recensentur; inter comicos poetas praeter Cratinum scripserat Busirin Antiphanes (Poll. X. 65.), Epicharmus (Poll. IX. 45.) alii. Cratinus singularem comoediam inscripsit Σάτυροι, eamque docuit Archonte Stratocle Ol. LXXXVIII. 4. in Lenaeis (cf. argum. ad Aristoph. Equites); quod tamen argumentum quomodo suo consilio adaptarit, diiudicare omnino non possumus, cum nihil praeter titulum ad nostra usque tempora pervenerit. Accuratius poterimus disputare de Cratini Ulyssibus et Seriphiis.

Perierunt Ὀδυσσεῖς Theopompi (Schol. ad Aristoph. Vesp. 1337. Athen. IV. 165. B. Poll. VII. 74.), Ὀδυσσεὺς

ὑφαίνων Alexidis (Athen. VI. 240. c. VII. 303. A.), *Ὀδυσσεὺς* Amphidis (Athen. HV. p. 691. B.), *Ὀδυσσεὺς* Anaxandridis (Athen. VI. 227. B.), *Ὀδυσσεῖς* Cratetis daud dubie ad Cratinum referendi (Etym. M. 367. 24.). De Cratini comoedia huius nominis loci duo exstant apud Platonium *Περὶ διαφορᾶς κωμῳδ.* p. XI. apud Kusterum: *Σκόπου γὰρ ὄντος τῇ ἀρχαίᾳ κωμῳδίᾳ τοῦ σκώπτειν δήμους καὶ δικαστὰς, καὶ στρατηγοὺς, παρεὶς ὁ Ἀριστοφάνης τοῦ συνήθως ἀποσκῶψαι διὰ τὸν φόβον, αἴολον τὸ δρᾶμα τὸ γραφὲν τοῖς τραγικοῖς, ὡς κακῶς ἔχον διασύρει. Τοιοῦτος οὖν ἐστιν ὁ Αἰολοσίκων Ἀριστοφάνους καὶ οἱ Ὀδυσσεῖς Κρατίνου καὶ πλεῖστα τῶν παλαιῶν δραμάτων οὔτε χορικὰ (μέλη) οὔτε παραβάσεις ἔχοντα·* et postea ibidem: *ὑποθέσεις μὲν γὰρ τῆς παλαιᾶς κωμῳδίας ἦσαν αὗται· το στρατηγοῖς ἐπιθυμᾶν καὶ δικασταῖς οὐκ ὀρθῶς δικάζουσι καὶ χρήματα συλλέγουσι ἐξ ἀδικίας καὶ μοχθηρὸν ἐπανῃρημένοις βίον· ἐπὶ δὲ τὸ σκώπτειν ἱστορίας ῥηθείσας ποιηταῖς ἦλθον· ἀνεύθυνον γὰρ τοιοῦτον· οἷον διασύρειν Ὅμηρον εἴποντά τι ἢ τὸν δεῖνα τῆς τραγῳδίας ποιητήν. Τοιαῦτα δὲ δράματα καὶ ἐκ τῇ παλαιᾷ κωμῳδίᾳ ἐστὶν εὑρεῖν, ἅπερ τελευταῖον ἐδιδάχθη λοιπὸν τῆς ὀλιγαρχίας κρατυνθείσης. Οἱ γοῦν Ὀδυσσεῖς Κρατίνου οὐδενὸς ἐπιτίμησιν ἔχουσι, διασυρμὸν δὲ τῆς Ὀδυσσείας τοῦ Ὁμήρου.*

Quamquam huius grammatici testimonium ad fabulam nostram accuratins intelligendam multum confert, multas tamen movet difficultates, quae primo adspectu haud facili opera removeri posse videntur. Cratinum non ad illa tempora referri posse, quibus, plebis potestate ad paucos concidente, choragi, sumtus suppeditaturi histrionibus, non amplius creabantur, aut propter metum poetae in fabulis principum nullum aggrediebantur in scena, supra demonstratum est; huc accedit, quod metum invasisse poetas contendit idem grammaticus propter Alcibiadem, qui Eupolim in mari submergi iussisse dicitur.

Hoc vero testimonium rursus falsum est et fictum a grammaticis.

In fragmentis ex nostra fabula servatis ne unum quidem invenitur vestigium, ex quo Cratinum scommata iecisse in aequales aliquis coniicere possit, quin potius omnino confirmatur sententia Platonii, cum omnia fragmenta ad Homeri Odysseam et quidem ad rhapsodiam nonam, quae fabulam de Ulyxe et Cyclope tractat, optime possint referri. Singularis enim Cratini character in eo consistit, quod in nonnullis fabulis parodia usus adeo constanter suum consilium persequitur, ut inde quidem magna inter eum Aristophanemque diversitas statui posse videatur. Quod vero fabulae nostrae chorus omnino denegatur a Platonio, eo magis movere debet nostram admirationem, cum argumentum ipsum prae reliquis ita sit comparatum, ut optimam praeberet copiam chorum constituendi ex Ulyxis sociis, quorum in fragmentis apud Pollucem VI. 68. (Athen. IX. p. 385. C.) et Hephaestionem (Enchir. p. 47. 1.) servatis mentio fit, cum in hoc ipsi loquentes inducantur, in illo Cyclops eos haud dubie alloquatur. Has propter causas quum animus meus sane inclinat, ut unius grammatici unicum et plane incertum, quin potius ipsi rei ipsisque fragmentis repugnans testimonium reiiciam, tamen, cum hanc coniecturam iusto audaciorem aliquis possit existimare, aliam invenisse videor rationem, qua tota res componitur et temperatur. Ulyxis socii certissime in hac fabula inducebantur et cum ipso haud dubie ad Cyclopis insulam navi advehebantur, ita vero, ut cum primaria dramatis persona manerent in scena, non in orchestram descenderent, sed effossis Cyclopis oculis navi discederent. Res, quoniam satis inusitata habebatur, admodum comica erat. Etsi non dubito, quin Platonius compertum habuerit cum ipso Ulyxe socios quoque inductos

fuisse a Cratino, vereor tamen, ne rem parum intellexerit, sociisque Ulyxis partes chori in scena quodammodo agentibus, chorum omnino (sc. in orchestra) defuisse contendat.

Ulyxes capta Troia in patriam reversurus cum sociis varia calamitate proflictus et per maria agitatus in Cyclopum insulam pervenit. Cyclops adspectu horribilis

οὐδὲ ἐῴκει
ἀνδρί γε σιτοφάγῳ, ἀλλὰ ῥίῳ ὑλήεντι
ὑψηλῶν, ὀρέων, ὅτε φαίνεται οἶον ἀπ' ἄλλων.

Od. ι, 190, improbissimus fuit erga deos et homines, quem Ovidius Metam. XIII. 842. haec loquentem inducit:

— — non est hoc corpore maior
Iuppiter in coelo: nam vos narrare soletis
Nescio quem regnare Iovem —

Cf. Odyss. ι. 275.

Praeterea, ut cum Eupolide loquar, *κοιλιοδαίμων*, cuius summus deus est venter (cf. Eurip. Cycl. 333. sqq.), adeoque ferus, ut homines devoret et apud Homerum Ulyxis socios mactet:

Ἀλλ' ὅγ' ἀναΐξας ἑτάροις ἐπὶ χεῖρας ἴαλλε·
Σὺν δὲ δύω μάρψας, ὥςτε σκύλακας, ποτὶ γαίῃ
Κόπτ'· ἐκ δ' ἐγκέφαλος χαμάδις ῥέε, δεῦε δὲ γαῖαν.
Τοὺς δὲ διαμελεϊστὶ ταμὼν ὡπλίσσατο δόρπον·
Ἤσθιε δ', ὥςτε λέων ὀρεσίτροφος, οὐδ' ἀπέλειπεν
Ἔγκατά τε σάρκας τε καὶ ὀστέα μυελόεντα.
Ἡμεῖς δὲ κλαίοντες ἀνεσχέθομεν Διῒ χεῖρας,
Σχέτλια ἔργ' ὁρόωντες· ἀμηχανίη δ' ἔχε θυμόν.
Αὐτὰρ ἐπεὶ Κύκλωψ μεγάλην ἐμπλήσατο νηδὺν,
Ἀνδρόμεα κρέ' ἔδων, καὶ ἐπ' ἄκρητον γάλα πίνων,
Κεῖτ' ἔντοσθ' ἄντροιο τανυσσάμενος διὰ μήλων.

Odyss. ι, 288. sqq. Haec Homerus, qui antea v. 231.

sqq. Ulyxem simul ac socios narrat Cyclopis caseos aliaque eiusmodi arripuisse et comedisse. Huc pertinent verba Cratini apud Athenaeum III. 99. F.

Ἦσθε πανημέριοι χορταζόμενοι γάλα λευκόν.

De vocabulo *χορτάζεσθαι*, quod comice translatum est ad homines, cum proprie ad iumenta (*χόρτος*, gramen, foenum) referatur ab aliis ad alia animalia, vide interpretes ad l. c. Sententia *γάλα λευκὸν* desumta est ex Homeri Odyssea ι, 246.

Αὐτίκα δ' ἥμισυ μὲν θρέψας λευκοῖο γάλακτος

usurpata quoque ab Euripide in Cyclope 388.

Μόσχους ἀμέλξας, λευκὸν εἰσχέας γάλα.

Locum Cratini itidem exhibet Priscianus p. 1214. 24. ed. Putsch. et exempla Latina addit. De dictione videsis Aristotelem in Rhetor. III. c. 3. et fortasse illa:

Πύον δαινύμενοι κἀμπιπλάμενοι πυριάτην

ex Scholiasta ad Aristophanis Vespas. v. 708., quae, nescio, quo iure, ad nostrum poetam et ad hanc ipsam fabulam referat Porsonus (Tracts and miscellaneous criticisms p. 235.), cum sane, quamquam omnino ἀδέσποτα leguntur, in nostrum argumentum optime quadrent. Huc spectant quoque illi genuini versus Cratini:

Πώποτ' εἶδές μοι τὸν ἄνδρα, παῖ Λαέρτου, τὸν φίλον
ἐν Πάρῳ σικυὸν μέγιστον σπερματίαν ὠνούμενον.

Athen. II. 68. C. In scribendis versibus Schweighaeuserum secutus sum ad l. c. admodum probabiliter disputantem. Cfr. Odyss. ι, 162. 249. Eurip. Cycl. 325. 371. Ex fragmentis Cratini, quae hactenus adscripsimus, unusquisque me non monente intelligit, poetam nostrum in hac fabula versibus hexametris saepe usum esse, eosque cum aliis versuum generibus miscuisse, neque sententias solum et sermonem Homeri sed versus quoque non raro lepide depinxisse et in scenam detulisse.

Iam praemissis actionibus, quales apud Homerum describuntur, sequantur verba Cyclopis in nostra Cratini fabula, quibus Ulyxis socios alloquitur, indicans, quomodo devoraturus sit eorum quemcunque arriperet:

Ἀνθ᾽ ὧν πάντας ἑλὼν ὑμᾶς ἐριήρας ἑταίρους,
φρύξας, ἑψήσας κἀπανθρακίσας, ὀπτήσας
εἰς ἅλμην τε καὶ ὀξάλμην, κᾆτ᾽ ἐς σκοροδάλμην
χλιαρὸν ἐμβάπτων, ὃς ἂν ὀπτότατός μοι ἁπάντων
ὑμῶν φαίνηται, κατατρώξομαι, ὦ στρατιῶται.

Fragmentum exstat apud Pollucem VI. 68. et Athenaeum IX. p. 385. C., et quidem apud hunc uno versu auctius. Lectionem χλιαρὸν tuentur editiones multae Athenaei et Pollucis, praeterea aliud Cratini fragmentum (Athen. VII. 315. B.), itaque sic lectionem perspicuam restituendam esse puto. Milites Ulyxis Cyclops, perniciem eis minans, comice vocat ἐριήρας ἑταίρους sicuti apud Homerum ab Ulyxe apellari solent (Od. ι, 172. 193. 555.). Locum nostro similem legimus in Euripidis Cyclope 355. sqq.

Χορ. Εὐρείας φάρυγγος, ὦ Κύκλωψ,
ἀναστόμου τὸ χεῖλος, ὡς ἕτοιμά σοι
ἑφθὰ καὶ ὀπτὰ καὶ ἀθρακιᾶς ἄπο χναύειν —

Cf. ibid. 403. sqq. Neque alienum videtur Euripidis loci ex Cyclope 340. sqq. mentionem facere, cum eodem fere colore sit depictus:

— — — τὴν δ᾽ ἐμὴν ψυχὴν ἐγὼ
οὐ παύσομαι δρῶν εὖ, κατεσθίων τέ σε.
Ξένιά τε λήψῃ τοιάδ᾽, ὡς ἄμεμπτος ὦ,
πῦρ καὶ πατρῷον τὸν λέβητά γ᾽, ὃς ζέσας,
σὴν σάρκα δυσφόρητον ἀμφέξει καλῶς.
Ἀλλ᾽ ἕρπετ᾽ εἴσω, τῷ κατ᾽ αὔλιον θεῷ
ἵν᾽ ἀμφὶ κῶμον στάντες, εὐωχῆτέ με.

At Ulyxes, cum multos sociorum iam devoratos esse a Cyclope vidisset, veritus, ut ne sibi parceret, vinum ob-

tulit crudeli adversario, precans, ut se saltem in patriam redire sinat. Cyclops vino delectatus apud Homerum haec verba facit Od. ι, 355.

Δός μοι ἔτι πρόφρων καί μοι τεὸν οὔνομα εἰπὲ
Αὐτίκα νῦν.

postea v. 364. Ulyxes respondet:

Κύκλωψ, εἰρωτᾷς μ' ὄνομα κλυτόν; αὐτὰρ ἐγώ τοι
ἐξερέω·

Apud Cratinum Ulyxes haec respondet:

— τῇ νῦν τόδε
πῖθι λαβὼν ἤδη καὶ τοὔνομα μ' εὐθὺς ἐρώτα.

Athen. X. 446. B. Nomen enim cum Cyclope communicare ipsi nondum in animo est, priusquam eum ita vino obrutum reddiderit et temulentum, ut sibi nocere amplius nequeat. Optime hoc modo rem suam instituit Ulyxes; quodnam vero praemium hospitis (*γέρας, ξείνια* Od. ι, 229. 267.), quamquam non a summa crudelitate, ab humanitate tamen prorsus alienum, ipsi prabere pollicitus sit Cyclops, declarant versus Euripidis in Cycl. v. 545.

ΚΥ. Σὺ δ', ὦ ξέν', εἰπὲ τοὔνομ', ὅ, τι σε χρὴ καλεῖν.
Οδ. Οὖτιν· χάριν δὲ τίνα λαβών σ' ἐπαινέσω;
ΚΥ. Πάντων σ' ἑταίρων ὕστερον θοινάσομαι.
Οδ. Καλόν γε τὸ γέρας τῷ ξένῳ δίδως, Κύκλωψ.

Cratinus Cyclopem *μονόμματον* vocabat in nostra fabula, testante Phrynicho in Ecl. p. 156. ed. Lobeck., Ulyxes vero ebrio oculum effodit, ut notum est ex Homero et his impetratis ex insula cum sociis superstitibus navi effugit. Ad hanc fabulae partem haec tria fragmenta spectant, quae placet breviter commemorare. Duo loci exstant apud Haephaestionem p. 46. 6.

Τίνες αὖ πόντον κατέχουσ' αὖραι· νέφος οὐράνιον τόδ'
ὁρῶμαι.

et

ὡς ἂν μᾶλλον τοῖς πηδαλίοις ἡ ναῦς ἡμῶν πειθαρχῇ.

Uterque versus est tetrameter anapaesticus, posterior vero spondaeum habet in exitu. Hos locos Cratini excipiat alius itidem ex Hephaestione 47. 1. desumtus:

Σιγάν νυν ἅπας ἔχε, σιγὰν,
καὶ πάντα λόγον τάχα πεύσῃ.
Ἡμῖν δ' Ἰθάκη πατρίς ἐστι
πλέομεν δ' ἅμ' Ὀδυσσεῖ θείῳ.

Iidem versus leguntur apud Scholiastam ad Aristophanis Plut. 598., unde quaedam in Hephaestionis loco licuit emendare. Cf. Hemsterhus. ad Aristoph. Plut. p. 197. De sententia simili videsis Eurip. Cycl. inde a v. 698. usque ad finem et Hom. Od. ι, in fine praecipue v. 504. Potest tamen hoc fragmentum ad illam quoque fabulae partem pertinere, quae in Odyssea ι, 172. sqq. exponitur. Alia fragmenta ex Ulyxibus Cratini servata, quo referam, nondum certe compertum habeo.

Homeri sermonem inveni in multis Cratini fragmentis, in quibus tamen non diserte indicatur, an ad hanc nostram aliamve fabulam pertineant. Cf. Suid. Ἄξιος λαβεῖν ὁ μισθός, id. v. Ἄναλτον et Zonaram sub eadem voce. Hephaest. Enchir. p. 84. 3. ibique interpr. Etym. M. v. Βαβάκτης. Hephaest. Enchir. 57. 3. et d'Orvillii doctam observationem ad h. l. Hesych. v. Κυβηλίς. Schol. ad Aristoph. Acharn. 3. Bekkeri Anecd. p. 13. 6. Iul. Poll. IX. 98.

Cratini Seriphii. Fabulam eodem indice consignatam composuisse perhibentur Aristophanes (Schol. ad Aristoph. Vesp. v. 74.) et Crates (cf. Schol. ad Aristoph. Nub. 687.), quibus tamen summo cum iure abiudicata est. Nostri poetae fabula a veteribus saepe laudatur, ita vero, ut, cum apud diversos scriptores tituli lectio varia exhibeatur in his Σερίφιοι, Σερέφιοι (Phot. Lex. Σταθερόν), Σερίφοι (Suid. Σναθερὸν, Hesych. Βρίκελοι. Schol. ad Aristoph. Vesp. 74.), Ἐρίφιοι (Hesych. Ἀΐδρυ-

τον κακόν. Interpr. ad Poll. VII. 69.), Δεῤῥίφιοι (Schol. ad Aristoph. Nub. 687.), in diversis nominibus viri docti saepe diversas Cratini comoedias inveniri arbitrarentur. Quomodo error ortus sit in comoedia Ἐρίφιοι inscribenda, facile possumus intelligere ex loco Hesychii v. Γραῦς Ἔριφος, ubi litterarum Σ prior posteriorem enunciatione delevit. Legendum est Γραῦς Σέριφος, ut recte habet Suidas, unde Hesychius emendandus. Qui errorem non animadverterunt, titnlnm nostrae fabulae latine reddunt modo *Virgines vetulae* modo *Hoedi.* Cratini comoedia nomen duxit a Seripho, de qua Scholiasta ad Platonis Politiam I. 410. G. haec dicit: Σέριφος, νῆσος μία τῶν Κυκλάδων καὶ πόλις ἐν αὐτῇ· οἱ δὲ ἐξ αὐτῆς Σερίφιοι, unde genuina inscriptio apparet Σερίφιοι, ad quam revocandi et emendandi sunt reliqui loci corrupti. Eandem veram lectionem confirmat Suidas Ἀμοργοί. Poll. VII. 69. X. 156. Hephaest. Enchir. p. 89. 8. Hesych. Διονυσοκουροπυρώνην. Phot. Lex. Σταθερόν. Τελενικίσαι. Bekker. Anecd. gr. p. 85, 2. 444, 16. Recte Hermannus, cum Scholiastam ad Aristophanis Nubes ederet in versu 687., ubi Κράτης ἐν Δεῤῥιφίοις legebatur, Κρατῖνος ἐν Σεριφίοις imprimi curabat, ut iam antea emendatum erat e Schol. ad Vesp. 74. Fabulam de Perseo a poetis epicis et tragicis satis celebratam parodia lusisse et ex incolis insulae, ad quam pertinebat, chorum constituisse videtur Cratinus in hac comoedia, quae inde Seriphiorum nomen accepit. Fontes huius fabulae, qui adire cupit, locos classicos habebit apud Hesiodum in Theogon. 270., in Scuto Herculis 223., ap. Pherecydem a Schol. ad Appollon. Rhod. Argonaut. IV. 1515. laudatum, Apollodorum in Biblioth. II. c. 4. et Heynium in Obss. p. 123. sqq., Aeschylum in fabula Φορκίδες inscripta (cf. Welckerum: Ueber die Trilogie des Prometheus p. 279.) et in Prometheo vincto 792.;

praeterea apud Pindarum Pyth. XII. 12., Pausaniam II. 21., Palaephatum 32., Orpheum de Lapidibus 15. 13. Argumentum comoediae Cratini accurate tractat Cl. Hemsterhusius ad Pollucem X. 156. Appollodori narrationem retinens; cuius disputationis, cum ad comoediam melius diiudicandam multum conferat, mentionem facere hoc loco non alienum esse arbitror. Seriphum insulam hac fabula tetigisse Cratinum liquet ex versu apud Hephaestionem p. 51. (p. 89. 8. ed. Gaisf.) servato:

Χαίρετε, πάντες θεοὶ, πολύβωτον ποτνίαν Σερίφον.

Vide Herm. Elem. d. m. p. 644. Epit. doctr. m. §. 512. Fabula vero haec est. Perseus, abscisso Medusae capite, in Aethiopiam devenit, Andromedamque Cephei regis filiam rupi alligatam et crudeli belluae marinae expositam videt. Hanc enim tanquam hostiam piacularem Ammonis oraculum et Nereides iratae poposcerant, quod iis omnibus forma se praecellere iactasset uxor Cephei Cassiopeia: amore incensus Perseus nuptias Andromedae, si illam a vinculis, occiso cete, liberasset, paciscitur. Deorum itaque in primis Minervae auxilio adiutus Andromedam solvit: at cum Phineus cui prius desponsa fuerat Andromeda, insidias ei strueret, hunc simul cum sociis, ostentato Medusae capite, in saxa mutavit. Deinde cum in insulam Seriphum reversus matrem cum Dictye propter iniurias a Polydecte illatas ad aras confugisse videret, regem ipsum et qui cum eo fuerunt Medusae adspectu in lapides vertit. Andromeda, cuius mentio fit in Cratini fragmento apud Pollucem X. 156. *δελέαστρα* vocatur, Hemsterhusio recte monente, propter amorem, in quem inciderat Perseus. Probabiliter quaedam de hac fabula coniecit Meineke in praefat. ad Menandr. p. XVIII. Multos comicos in fabulis vetulam piscibus devorandam exposuisse, ut Andromedam apud tragicos poetas saepe obviam ridicule imitarentur, docet Ari-

stophanes (Nub. 555.) de Phrynicho et Athenaeus VII. 315. de Platone comico. Cf. Aristoph. Thesmophor. 1062.

Non substitit Cratinus in cavillandis virorum adhuc viventium actionibus et moribus, sed varie lusit in scena adornanda, eamque ad inferos transferens illustrium haud dubie virorum conditionem poenasque, quas post vitam peractam dedisse finxit, lepide adumbravit. At acta esse talia in dramatis Cratini confirmat Aristarchus, narrans inductum esse aliquem ab eo apud inferos funiculum plicantem, asinum vero eum, dum necteretur, arrodentem et quasi detondentem (Phot. Lex. *Ὄνου πόκαι*); inde ortum esse proverbium *Ὄνου πόκαι*, dictum de rebus vanis et inanibus, quae ad certum finem duci omnino nequeunt (cf. Suid. *Ὄνου πόκαι*. Aristoph. Ran. 188. et Schol. ubi alia huius dicendi rationis exempla collecta sunt). Apud inferos dicti sunt fortasse versus Cratini apud Hephaestionem p. 96. 15. servati, quibus aliquis Charonem diserte alloquitur.

Haec fragmenta si accuratius perlustramus, opinionem, quam auctores veteres et grammatici de Cratino protulerunt, nostra tessera omnino confirmemus oportet. Acerbitatem dico, illam Archilocho propriam maximamque in aggrediendis summis rei publicae viris temeritatem, quae ita erat ipsi a natura constituta et quasi innata, ut neque cuidam parceret neque atrocitatem iocando deminueret, sed adversarios funditus deleret (Aristoph. Eq. 525.). Hunc Cratini characterem ut strenuiorem et acerbiorem Athenienses non admodum videntur amasse in comoedia, quum Aristophanis lepores et hilaritas, quae propius ad eorum mores rebus levioribus contentos accedebant, in scena audiebantur. Aristophanes hanc rem maxime compertam habens in parabasi ad Equites Atheniensibus exponit, quam sint sibi inconstantes, quantopere eorum ingenium in horas mutari possit et quo-

modo veteres et praestantissimi poetae consenuerint. Utitur Cratini exemplo, quod supra ad diversas res confirmandas saepius usurpavimus. Cratinus nudo gladio ruit in civium scelestorum mores corruptos et in potentiorum flagitia et fraudes. Inde Persius Sat. I. 123.:

— — Audaci quicunque afflate Cratino —

De qua sensentia idem fere iudicium profert Christodorus in ecphrasi statuarum in Leuxippi gymnasio apud Brunckium:

Καὶ τύπος ἁρβρὸς ἔλαμπεν ἀριστονόοιο Κρατίνου,
Ὅς ποτε δημοβόροισι πολισσούχοισιν Ἰώνων
θυμοδακεῖς ἐθόωσεν ἀκοντιστῆρας ἰάμβους
κῶμον ἀεξήσας φιλομαίγμονος ἔργον ἀοιδῆς.

Quibuscum consentit iudicium, quod Platonius profert *Περὶ διαφορᾶς χαρακτήρων*, eum fuisse severum in conviciis; non enim, sicuti Aristophanes solebat, succincte loquendo gratiam addidit cavillationibus, vehementiam obiurgationis propter ipsam gratiam deminuens et quasi refutans sed simpliciter, *γυμνῇ τῇ κεφαλῇ*, ut proverbium habet, convicia fecit in deteriores. In fabularum vero accessionibus (*ἐπιβολαί*) et apparatu (*διασκευή*) solers cum esset Cratinus, ipsa argumenta (*ὑποθέσεις*) insuper neglexit (*προϊέναι*), dissipavit et iusto prolixius distraxit (*διασπᾷν*), itaque fabulas ipsas non satis apte et congrue complevit. Supererant igitur in Cratini fabulis vestigia nonnulla rudioris et inordinatae artis, praesertim in conclusione dramatum desiderabatur temperamentum aliquod, quo cavillationis summa acerbitas leniretur. Eupolis contra res, personas, voces et actus ad veritatem revocans et sibi fingens (*εὐφάνταστος*) auditorumque imaginationem in suam rem commovens, in argumentis conformandis longe optimus summam vim et dexteritatem addidit fabulis et, cum gravis ipse esset, confictarum tamen personarum novitate acerbitatis suae venustatem

sustinuit. Fuit praeterea sublimis pariter ac gratiosus, in consilio, quod assequendum sibi proponebat, felicissimus et in contemplatione rationum, quibus utebatur, magnum prodidit acumen, ita ut A. G. a Schlegel (Geschichte der dramat. Kunst. I. p. 314), quum dicit, fabularum Cratini characterem in Aristophanis Equitibus, quam vero secutus sit rationem Eupolis in Aristophanis Avibus maxime perspici posse, satis docte et ad ipsius rei veritatem videtur iudicare. Aristophanse enim cum nec nimis acerbus esset, ut Cratinus, nec adeo gratiosus, ut Eupolis sed in adversarios Cratini vehementiam observaret et ipsam succincte loquendi gratiam in Eupolide maxime perspicuam non negligeret, mediam quendam horum virorum stilum et characterem secutus est.

Cratinus fabulas XXI. scripsisse et novies victoriam reportasse dicitur (Suid. v. *Κρατῖνος*); idem numerus confirmatur ab Eudocia p. 271. et grammatico anonymo *περὶ κωμῳδίας*, qui apud Kusterum Aristophani praemittitur. De gloria, quam comoediis suis assecutus est et de victoriis testimonium exhibet Aristophanes in loco illo notissimo, qui legitur in Equitibus 523. sqq.; at de numero fabularum, quae hodie ad nostrum poetam referuntur, magna oritur difficultas et dubitatio, quoniam in libris, qui poetarum Graecorum fabulas recensent, Cratino plus quam quadraginta et a Meursio, qui suo iudicio usus esse videtur, triginta quinque comoediae tribuuntur; maxime vero mirandus est Hertelius, qui viginti tantum nomina fabularum enumerat et his quoque spurias quasdam immiscet. Quamquam in eiusmodi locis, qui numerum certum indicant non raro corruptionis suspicio haud immerito movetur, hanc diversitatem tamen ortam esse existimo tum ex corrupta tituli quarundam fabularum lectione, unde factum est, ut variae lectiones titulorum pro titulis diversarum fabularum habe-

rentur, tum ex perturbatione nominum ut sunt Cratini, Cratetis, Crateuae, Crateri, Critiae, quae in libris manu scriptis ab indoctoribus scribis facile inter se confundi et permisceri eo minus mirandum est, quo similiora sunt inter se. Crates, Atheniensis, primum erat Cratini fabularum actor, ut Aristophanis interpretes docent (Schol. ad Aristoph. Eq. 534. Gramaticus Anonym. *Περὶ διαφορᾶς κωμῳδ.* in Prolegg. Kusteri ad Aristophanem p. XII.); simili modo Callistratus et Philonides histriones fuere Aristophanis, Hegelochus Euripidis (Aristoph. Ran. 303.). Postea ille priscae comoediae poeta evasit multasque fabulas composuit, quarum nonnullae, Cratino reddendae, Cratetis nomen mentiuntur, aliae, cum in catalogum comoediarum Cratini irrepsissent, ad suum auctorem transferendi sunt.

Iam falso sub nomine Cratetis circumferuntur fabulae *Ὀδυσσεῖς, Πανόπται* (testimonium igitur Scholiastae ad Aristophanis Nubes 97. de Hippone philosopho ad Cratinum omnino referendum est), *Σερίφιοι, Ὧραι, Χείρωνες*, quas virorum doctorum diligentia passim ad Cratinum retulit, licet non firmiter negarim, unam alteramve fabulam huius nominis Cratetem habuisse auctorem. Quae cum ita sint, fabulas, quas viri docti a Cratino segregarunt et illas, quas aut nullas aut spurias esse equidem existimo, a genuinis omnino removeamus et de singulis, quantum fieri potest, disputemus, ut, si quidem non ad iustum numerum, quem Suidas tradit, omnino pervenire licet, tamen paulo propius ipsi veritati stare videamur.

Ἀλλοτριογνώμονες laudantur (in Bekkeri Anecdotis Graecis p. 1176. et quidem in annotationibus grammaticorum ad p. 828. 21.) his verbis: *Πολλάκις εὑρίσκεται ἐν μέτρῳ τὸ μν ἀποτελοῦν κοινὴν συλλαβήν· ὡς καὶ παρὰ Κρατίνῳ Ἀλλοτριογνώμοσιν·*

ἐπιλήσμουσιν μνημονικοῖσιν.

Est locus corruptissimus, cui ne vestigium inest fabulae Cratini, si accurate confers locum ex Hephaestione (Enchir. p. 14. 3.) *περὶ συλλαβῶν*, ubi legitur: *Ἤδη μέντοι ἡ διὰ τοῦ μν σύνταξις ἐποίησέ που καὶ βραχεῖαν, ὡς παρὰ Κρατίνῳ ἐν Πανόπταις·*

Ἀλλοτριογνώμοις, ἐπιλήσμοσι, μνημονικοῖσι.

Cum apud incertum grammaticum Bekkeri unica exstet mentio fabulae, quam ille *Ἀλλοτριογνώμονας* vocabat, illa vero fabula, *Πανόπται* inscripta, pluries apud Suidam, Pollucem, Hephaestionem, Scholiastam Aristophanis et Homeri aliosque legatur, fieri facillime poterat, ut indoctus grammaticus in Cratini loco, qui certam comoemoediam, ut saepissime fit, igitur hoc loco *Πανόπτας* non indicabat, in primo vocabulo titulum fabulae invenire sibi videretur, versumque lacerans titulum fingeret. Debet tamen Hephaestionis locus e grammatico apud Bekkerum emendari et quidem *ἀλλοτριογνώμοσι* restitui pro *ἀλλοτριογνώμοις*, quod, ut recte ad Hephaestionem viri docti coniecerunt, certo analogiae praesidio caret; *ἐπιλήσμοσι* vero in grammatici anonymi locum ex Hephaestione transferendum pro corrupto *ἐπιλήσμουσιν*. De sensu huius versus non facile aliquis probabiliter coniiciat, quum ex sequentibus, quae deperdita sunt, haud dubie pendet.

Γείτονες. Haec fabula uno tantum loco incerti grammatici *περὶ συντάξεως* in Bekkeri Anecd. Gr. p. 144. 27. perperam Cratino tribuitur; referenda est omnino ad Cratetem, cui multis veterum testimoniis vindicatur, ideoque apud Grammaticum, quem diximus, legendum *Κράτης Γείτοσιν.*

Γλαῦκος. Athenaeus II. p. 68. A. dicit: *Κρατῖνος Γλαύκῳ·*

Οὐ πρὸς παντός ἐστιν ἀρτῦσαι καλῶς.

Recentiores Athenaei interpretes, cum metrum viderent

labe laborare, Valckenarium ad Herod. VII. 135. secuti particulam γε suppleverunt. Casaubonus, quamvis paulo audacius recedens a librorum auctoritate, subtiliter coniecit ἀνδρὸς inserendum esse post παντὸς secundum illud proverbium: Οὐ παντὸς ἀνδρὸς ἐς Κόρινθον ἐσθ' ὁ πλοῦς. Recepta est haec emendatio ab Hug. Grotio, neque mihi displicet, quia eo facilius excidere poterat vocabulum ἀνδρὸς, quo similius est in pronunciatione cum praecedenti παντὸς. Glaucus, cum nusquam Cratinum auctorem habeat, suspecta videbatur viris doctis maxime Casaubono, qui argumentum illud tragoediae magis quam comoediae idoneum duxit. Hoc tamen non dixerim, cum huius inscriptionis fabula aliis quoque poetis comicis sicut Aristophani (Poll. III. 43.), Anaxilae (Poll. IX. 29.), Eubulo (Harpocrat. Χρυσοχοεῖν. Poll. VI. 67.) diserte tribuatur. His omnibus non indigemus, quoniam quidam Codd. MSS. lectionem Γλαῦκον exhibent, ita ut de pisce huius nominis (de quo Athenaeus III. p. 107. C. VII. 293. B. accuratius agit) hic versus intelligi debeat. Agnoscimus igitur versum Cratini de glauco pisce, omissa fabulae, ex qua sumtus est, inscriptione, fabulam Γλαῦκος inscriptam denegamus. Interpretes ad Athenaeum versum hoc modo scripserunt:

— — Γλαῦκον
Οὐ πρὸς παντός ἐστιν ἀρτύσαι καλῶς.

Claudicat finis prioris versus. Casauboni emendationem recipiens cum Porsono Advers. 58. versum trochaicum tetrametrum catalecticum exhibeo:

Γλαῦκον οὐ πρὸς παντὸς ἀνδρός ἐστιν ἀρτῦσαι καλῶς.

Ἐπιλήσμων. Apud Scholiastam ad Aristophanis Nubes 788. legebatur in Aldina: ἐπιλησμότατον] ἔδει εἰπεῖν ἐπιλησμονέστατον· ἡ λέξις δὲ ἐπιλήσμη· φησὶ δὲ Κρατῖνος Ἐπιλήσμονι. Apud Suidam v. ἐπιλησμότατον scribitur: Ἄλεξις δὲ ἐπιλήσμη. Κρατῖνος ἐπιλησμοσύνη, quod Her-

mannus in textum Scholiastae recepit, Dindorfius vero in sua editione Scholiarum Aristophanis sic imprimi curabat: *φησὶ δὲ Κρατῖνος ἐπιλήσμονι.* Quidquid statuamus, hoc pro certo confirmari potest, Scholiastam nobis non fabulam Cratini *Ἐπιλήσμων* inscriptam laudare sed exempla quaedam ex poetis comicis diversarum formarum vocabuli *ἐπιλήσμων* et derivatorum substantivorum tradere voluisse. Fortasse hoc vocabulum ex Panoptis desumtum est, de quibus supra diximus ad spuriam fabulam, quae sub nomine *Ἀλλοτριογνώμονες* ferebatur.

Θράσων. Hesychius v. *Ἀπέφρησαν* dicit: *Κρατῖνος· Θράσυν,* quod Meursius in Biblioth. Attica mutavit in *Θράσων* atque Cratino hanc fabulam tribuit, qualem scripsisse tamen nusquam reperitur. Viri docti varia coniecerunt (cf. Interpr. ad Hesych. l. c.). Ut breviter dicam, legendum videtur *Θράτταις,* cui inest titulus comoediae veterum testimoniis satis celebratae (cf. Suid. *Ὀκτώπουν.* Poll. IX. 91. X. 160. X. 67. Hesych. *Δίλογχος. Συρβηνεύς.* Harpocrat. *Ἀρκτωρός.* Schol. ad Hecubam Euripidis 838. Phot. Lex. *Κύβηβον. Ὀκτώπουν.* Plut. vit. Pericl. c. 13. Priscian. p. 1183. 12. ed. Putsch.). Facillime fieri poterat, ut grammaticus dativum pluralis numeri vocabuli *Θρᾶτται* formaret in *Θρασσίν* pro *Θράτταις* unde apud alios orta est lectio *Θράσυν, Θραξίν* etc., quae omnia recurrunt ad unam genuinam fabulam *Θρᾶτται* inscriptam.

Θρᾷξ. In Bekkeri Anecdotis Gr. p. 104. 18. legitur: *Κακόδουλος· Κρατῖνος Θρᾳκί.* Comoediam huius nominis non ad Cratinum referri posse sed locum ad rationes, quas modo de simili fabula exposuimus, revocandum esse, unusquisque haud dubie intelligit.

Ἰλιάδες. Haec quoque comoedia Cratini nomen mentitur, quanquam Hesychius v. *Αἴθρια* versum ex ea laudat, dicens: *Κρατῖνος Ἰλιάσιν.* Iam Sopingius ad

Hesychii locum pro Ἰλιάσιν legendum coniecerat Δηλιάσιν. Ex Deliadibus Cratini multa exstant fragmenta (Suid. Ῥαζεῖν. Hesych. Βοῦς ἐν αὐλίῳ. Schol. ad Aristoph. Vesp. 556. ad Aves 1294. Phot. Lex. Ἐτήσιοι. Ῥαζεῖν. Athen. IX. 396. B. XI. 501. Bekker in Anecd. Gr. p. 94. 7. p. 96. 14. p. 129. 14.) atque accedit, quod fragmentum Cratini ab Hesychio servatum, argumentum confirmat, quod in Deliadibus invenire mihi videbar; praeterea eo lubentius refero hoc fragmentum ad Deliades, quo similiora sunt ipsa vocabula Δηλιάδες et Ἰλιάδες audientibus non solum sed etiam scribentibus. Medium aliquod ad hanc corruptionem intelligendam praebet locus Photii Lex. v. Ἐτήσιοι, ubi in nonnullis MSS. legitur δειλιάσιν pro Δηλιάσιν, unde aliquis eodem fere iure et lectionem Δηλιάσιν et Ἰλιάσιν sibi fingere posest. Igitur eiiciendus erit hic titulus e fabularum Cratinearum catalogo, donec alius probus testis repertus fuerit.

Κρῆσσαι apud Hesychium exhibentur (v. Κωνῆσαι): Αἰσχύλος καὶ Κρατῖνος Κρήσσαις. Suspectam esse hanc fabulam, cum Cratini nomen hoc unico loco ferat, viderunt interpretes ad Hesychium l. c. et bene couieceruut, verba legenda esse inverso ordine, ita, ut fabula ad Aeschylum referatur, cui multis locis a Stanleio collatis vindicatur.

Θετταλῶν πολιτεία. Athenaeus XII. p. 663. A.: ἱστορεῖ δὲ καὶ περὶ τῆς πολιτείας αὐτῶν καὶ Κρατῖνος ἐν τῇ πολιτείᾳ αὐτῶν. „*Cratinus, qui de Re publica Thessalorum scripserit alibi, quam hic non inventus nobis et fortasse melius* Κριτίας *de quo et politiis ante dictum.* Cf. ad XI. p. 463. B." Haec Casaubonus ad locum Athenaei rectissime monet; exempla, quibus demonstrari potest Critiam scripsisse Rem publicam Thessalorum praeter Casaubonum interpretes ad Athenaeum XII. p. 663.

A. satis idonea contulerunt; denique ex verbo ἱστορεῖ tota controversia dirimitur.

Ψηφίσματα. Perperam Cratino tribuitur fabula huius indicis apud Harpocrationem v. *Ἀρκτεῦσαι*; rationes exposuit Maussacus in Obss. ad l. c. atque Craterum, cuius *Ψηφίσματα* saepe laudantur, in Cratini locum restituit.

Διδασκαλίαι. Quamquam haec fabula vulgo reliquis Cratini fabulis genuinis annumeratur, mihi tamen suspecta iam dudum erat eius auctoritas, quae uno tantum loco Suidae v. *Ἀναρύττειν* nititur et, si inscriptionem spectas, grammaticum potius opus, in quo de singulis nostri poetae comoediis notitiae accuratae tradebantur, redolere videtur. Nihilominus huic coniecturae non tantam fidem tribui, ut propterea fabulam numero genuinarum extruderem, cum Cratinus lusu, nescio quo, docendi methodum quandam traducere poterat; cui sententiae versus corruptus apud Suidam servatus non omnino repugnat. Certi aliquid constituere difficillimum est, hoc igitur loco ambigua maneat huius fabulae auctoritas.

Causas, quibus factum est, ut Cratini fabulae temporum iniuria tantopere affectae, praematura morte interierint, sine coniectura omnino assequimur, si nobis persuasum habemus, quantam vim posuerit in singulis sui temporis personis et rebus gestis subtiliter describendis, quae postea, temporibus mutatis, ipsae mutatae lecturis multas difficultates movere ideoque delectationem, qua docti grammatici certe afficiebantur, deminuere poterant. Itaque memoratu dignum est, quod in didascaliis comoediarum Aristophanis antiquo admodum tempore compositis traditur, fabulam Cratini, quae *Χειμα-*

ζόμενα inscribebatur, iam interiisse, cum Eupolidis fabulas Luciani temporibus lectitatas fuisse ex certis testimoniis compertum habeamus. Neque mentitus est ille grammaticus apud Aristophanem, nam illius fabulae, quam poeta noster Ol. LXXXVIII. 3. docuit Euthymene Archonte (Argum. ad Aristoph. Acharn.), ne littera quidem relicta est.

II.

DE EUPOLIDE.

Cum praeter Cratinum et Aristophanem in veteri Graecorum comoedia multi essent poetae iique sua aetate admodum clari adeoque florentes, ut cum celeberrimis certantes in scena summas victoriae laudes saepe reportarent, nullus tamen est Eupolide insignior, nullus, qui cum Cratino et Aristophane arctiori vinculo cohaereat et saepius coniunctus perhibeatur in veterum monumentis, ita, ut in his tribus poetis elegantia et Atticae comoediae summa cultura inveniri et perspici posse videantur. Hinc factum est, ut iis, quae supra de Cratino exposita sunt, disputationem, qua vitae et celebratissimarum fabularum Eupolidis cognitionem paulo accuratiorem mihi videbar assecutus esse, annectere constituerem, paucis hac provincia me defungi posse ratus, quandoquidem in priori capite de quibusdam quaestionibus, quae ad indolem et characterem Eupolidis diiudicandum spectabant, disputatum est.

In limine huius disputationis, alios, qui Eupolidis nomen gesserunt, secernamus a nostro poeta comico, quocum passim confusi sunt a viris doctis. Eupolidis cuiusdam, quem nonnulli interpretes comoediae scriptorem perperam putarunt, mentionem facit Ovidius in Ibi 532. his versibus:

Sit tibi coniugii nox prima novissima vitae;
Eupolis hoc periit, et nova nupta, modo.

Ab aliis interpretibus refutata est haec sententia et substitutus est Eupolis, Niciae filius, a comico diversus, cuius uxor, Glycerium, patrem habuit Eudicum. Hos prima

nocte nuptiarum pariter exstinctos esse thalamo collabente docet epigramma ab interpretibus Ovidii laudatum:

Αἴ, αἴ, τοῦτο κάκιστον, ὅταν κλαίωσι θάνοντα
Νύμφιον, ἢ νύμφην· ἡνίκα δ' ἀμφοτέρους —
Εὔπολιν ὡς ἀγαθήν τε Γλυκήριον, ὧν ὑμεναῖον
Ἔσβεσεν ἐν πρώτῃ νυκτὶ πεσὼν θάλαμος —
Οὐ καλῶς τόδε κῆδος ἰσόῤῥοπον, ὡς σὺ μὲν υἱὸν,
Νικία, σὺ δ' ἔκλαυσας, Εὔδικε, θυγατέρα.

Cf. Anthol. Gr. Palat. ed. Iacobs T. I. p. 393. et Iacobsium ad Tom. III. p. 289. Brunck. ad Tom. IV. Nro. 674. Errat quoque D. Ios. Barberius (De miseria poetar. in Io. Gronovii Thes. Antiquitt. Graec. T. X. p. 836.), qui huius mortis miseram conditionem in nostrum poetam transfert et propterea hunc lusum apponit:

Vere huic *Uscor* (uxor) adest orcus. Brevis ex Hymenaeo
Est gradus ad tumulum, hic dicere iure potest.
Dicens nasci iterum nova quos connubia iungunt;
Falsum est; dicere nam debuit hosce mori.]

et illud:

Quisquis in uxorem cecidit, descendit in Orcum:
Rite inversa sonant Uscor et orcus idem.

Eupolis recentior, comicus poeta non admodum clarus, ut videtur, a Polluce commemoratur (VII. 168.) his verbis: *Τῶν δὲ ἔτι νεωτέρων τὶς Εὔπολις.*

Eupolis Eleus inter illos, qui in ludis Olympicis vicerunt, laudatur apud Eusebium in Chronico ed. Scalig. p. 345.

Eupolis, Sosipolidis filius, poeta comicus, annos natus septendecim iactare se et ostentare in scena coepit, fabulasque docuit septendecim (Suid. *Εὔπολις.* Eudocia in Villoisonis Anecd. Gr. p. 167.). Suidae locus multas

parat difficultates, de quibus videbimus paulo inferius, ubi licebit litem forsan discutere et de singulis momentis accuratius disquirere; hoc loco sufficiat monuisse, me unam illarum trium coniecturarum recepisse, quas Kusterus ad Suid l. l. proposuit, dubius ipse, quam sequatur. Lectio apud Suidam haec est: *Εὔπολις, Σωσίπολις, Ἀθηναῖος* cet. Critici iusto audacioris esset vocem *Σωσίπολις* una litura delere; paulo ieiunius foret et insolentius, si Suidas hoc vocabulum addidisset maxime eo consilio, ut vocem *Εὔπολις* eo modo, quo *Σωσίπολις*, dictum et formatum esse demonstraret, quoniam neque in forma vocabali *Εὔπολις* aliquid insit, quod miremur, neque vocabula simili modo composita ut Sosipolis, Dicaeopolis, Cratesipolis desiderentur. Iam si hoc statueremus, locus ipse corrigendus esset. ut Kusterus proposuit, *ὡς Σωσίπολις*. Quid vero nos desideramus in loco Suidae? In notitia de Eupolide patris nomen, in quo ponendo et cognominis instar addendo Graeci ita constantes fuere, ut in singulis locis, his maxime, qui vitam scriptorum adumbrant, postulare id posse videamur. Itaque Sosipolidis nomen fuisse patri Eupolidis mihi quidem videtur coniectura esse omnium maxime probabilis.

Iam idem Suidas in sequentibus commemorat Eupolidis mortem, quae, sicuti omnium fere poetarum clarorum interitus tenebris vel saltem mirificis narrationibus obvolutus esse solet, diverse a diversis tradita adeoque sinistre diiudicata est inde a priscis temporibus, ut et historici et grammatici Graeci hanc quaestionem non intactam relinquerent, quin potius accuratius, quam de alio simili argumento factum est, disputationes instituerunt subtiliusque disquirerent. Eupolim, cum fabulam *Βάπται* inscriptam, in qua ne summis rei publicae viris pepercit, Alcibiadem vero potissimum perstrinxit, docu-

isset, ab eodem Alcibiade in mari demersum temeritati suae poenas dedisse, fabella erat non multo post mortem poetae confecta et postea, ut plerumque fieri solet ita aucta et amplificata, ut teste Scholiasta Iuvenalis (ad Satir. II. 92.) Alcibiades ipsum poetam in mare praecipitando necuisse perhibeatur dicens: „Tu me in theatro madefecissi, ego te in mari madefaciam." Quae verba a quocunque Scholiasta Iuvenalis petita sine dubio fluxere e disticho Graeco, quod servatum legitur in Scholiis ad Platonem ineditis, divulgatum nuper a Creuzero ad Plotin. de Pulcritud. p. 465., emendatum a Iacobsio ad Anthol. Gr. Palat. T. III p. 667.: *Ἄλλοι δὲ λέγουσιν ὅτι ἐκωμῴδουν ὀνομαστὶ τοὺς ἄνδρας μέχρις Εὐπόλιδος· περιεῖλε δὲ τοῦτο Ἀλκιβίαδης ὁ στρατηγὸς καὶ ῥήτωρ. Κωμῳδηθεὶς γὰρ παρὰ Εὐπόλιδος ἔῤῥιψεν αὐτὸν ἐν τῇ θαλάττῃ ἐν Σικελίᾳ συστρατευόμενον, εἰπών·*

Βάπτεις μέ'ν (*βάπτε μ' ἐν* Cod.) *θυμέλῃσιν, ἐγὼ δὲ σὲ κύμασι πόντου*
Βαπτίζων ὀλέσω νάμασι πικροτάτοις.

Quos versus Iuvenalis interpres simpliciter in latinam linguam vertit iisque, ut saepissime fieri solet, ad suam rem declarandam et illustrandam usus est. Eandem narrationem exceperunt grammatici recentiores atque Platonius (*περὶ διαφορᾶς τῶν παρ' Ἕλλησι κωμῳδίων* in Prolegg. ad Aristoph. ed Kuster. p. X.) dicit: *Ἴσμεν γοῦν τὸν Εὔπολιν ἐπὶ τῷ διδάξαι τοὺς Βάπτας ἀποπνιγέντα εἰς τὴν θάλασσαν ὑπ' ἐκείνων, εἰς οὓς καθῆκε τοὺς Βάπτας καὶ διὰ τοῦτο ὀκνηρότεροι πρὸς τὰ σκώμματα ἐγένοντο καὶ ἐπέλιπον οἱ χορηγοί,* et Themistius Orat. XVII. p. 449. ed. Petav. eandem rem tetigit hisce; *Ἀλκιβιάδης δὲ ὁ Κλεινίου καὶ ταῦτα στρατηγὸς ὢν αἱρετὸς οὐχ οὕτως ἀπεμνημόνευσεν Εὐπόλιδι τῷ κωμῳδιδασκάλῳ τοὺς Βάπτας, καίτοι τῆς τέχνης αὐτῷ διδούσης τοῦ σκώπτειν τὴν ἄδειαν ἐκ τῶν νόμων.* Hanc audaciam Eupolidi mortis causam

fuisse negabat doctissimus ille et plurimarum disciplinarum cognitione maxime tinctus grammaticus, Eratosthenes, testante Cicerone (ep. ad Atticum VI. 1.), qui, cum de erratis in historia communibus, quatenus publicam de rerum eventu opinionem interdum servant et propagant, disputat, iisque Graecos non caruisse exemplis probare studet, hoc illustre testimonium nobiscum communicat: *Quis enim non dixit, Eupolim* τὸν τῆς ἀρχαίας, *ab Alcibiade navigante in Siciliam deiectum esse in mare? Redarguit Eratosthenes: affert enim, quas ille post id tempus fabulas docuerit. Num idcircò Duris Samius, homo in historia diligens, quod cum multis erravit, irridetur?"* Quam tritus fuerit error in hac narratione servanda, e Cicerone optime colligere possumus, neque mirandum esse existimo, quod poetae et grammatici in hac fabulosa morte epigrammatis, quibus locus supra allatus potest adnumerari aliisque poematis describenda varieque exornanda sibi admodum placuerint. Non facio tamen cum interpretibus, qui apud Ovidium in Ibi 527 et 693 mentionem fieri Eupolidis arbitrantur, cum canit poeta:

Utve lyrae vates fertur periisse severae
  Causa sit exitii dextera laeva tui.

et paulo inferius:

Comicus ut mediis periit, dum nabat in undis
  Et tua sic Stychius strangulat ara liquor.

Res enim ad liquidum perduci nequit, cum multi poetae submersi interisse perhibeantur veluti Menander, Sotades (Athen. XIV. p. 621.) alii, nos vero nesciamus, quemnam respiciat Ovidius.

Narratiunculae huiusmodi a quibuscunque exaratae primo statim obtutu rei integram fidem suspectam reddunt, maxime cum in hac nostra commentatione comoediae antiquae libera constitutio, effrenata licentia et animus potentissimorum Graecorum, qui sicuti Periclis

exemplum docet, nec maximam quidem acerbitatem in scena sibi illatam aegre acceperunt nec saltem poetae paulo audaciori mortem decreverunt democratia florente, impediant, omnino, quominus aliquid auctoritatis in illis ponere possimus. Alcibiadem enim non solum ab Eupolide in scena graviter traductum esse, aliorum comicorum exempla satis declarant; nostrum vero poetam minus usum esse acerbitate, quam ridiculo quodam et comico, quod proprie dicitur, genere dicendi, certis veterum testimoniis nisus alio loco observavi. Praeterea accedit Suidae locus, qui, ut mihi quidem videtur ex bonis fontibus haustus, diserte tradit, Eupolim in bello contra Lacedaemonios naufragio periisse in Hellesponto et hanc ob causam legem latam esse ab Atheniensibus, secundum quam nulli poetae licuerit in posterum belli gerendi esse participi. Suidae (v. *Εὔπολις*) haud dubie huius legis argumentum obversabatur. Praeclarissimos poetas patria in terribilibus angustiis versante, summo discrimini sese obtulisse, Aeschyli aliorumque exemplo constat; Athenienses autem mortuo Cratino Eupolidis praestantissimi comici interitu graviter afflictos ad talem legem refugisse ex incredibili spectaculorum aviditate colligi potest. Religione nota permoti Eupolidis corpori, e mari conquisito, gloriosum exegisse videntur sepulcrum et monumentum, cuius meminit Pausanias in Corinthiacis (II. c. 7.) dicens, post Lyci monumentum trans Asopum ad dextram Olympium esse ad laevam sepulcrum exstructum esse Eupolidi Atheniensi, comoediarum scriptori (*Εὐπόλιδι Ἀθηναίῳ ποιήσαντι κωμῳδίαν*. Legendum haud dubie *κωμῳδίας*). Hic locus e Pausania descriptus omnino refutat sententiam illorum, qui in Siciliam poetam nostrum vectum esse perhibeant, ex qua expeditione quomodo in Peleponnesum allatus atque sepulcro ornatus fuerit, difficile est intellectu; eo probabilius erit, eum in

itinere, quo Hellespontum petiere Athenienses, mortuum in Graecia sepultum esse.

His adiungamus de Eupolidis cane, cuius fidelitate usque ad mortem poetae servata comoediae quaedam ab interitu surreptae sunt, lepidam admodum narrationem, quam hoc fere modo tradit Aelianus De nat. anim. X. c. 41.: Eupolidi poetae Augeas Eleusinius munere donavit canem non modo genere Molossum sed etiam forma praestantem, quem eodem nomine, quo Augeas erat, Eupolis appellabat. Canis iam nomine Augeas cum longa consuetudine tum ciborum illecebris allectus et blandiditiis, diligebat dominum. Cum igitur poetae servus Ephialtes dramata quaedam Eupolidis surriperet, non latuit cani fugax servus; acerrimo impetu incurrit in hunc direptorem mordicusque eum comprehendens interfecit. Postea in Aegina Eupolis excessit e vita, ibique eius corpus ad sepulturam datum; canis vero morti illius ingemiscens non tantum ullulatu primum illius excessum e vita luxit sed deinde moerore inediaque extabuit et in odium vitae adductus ex altoris sui morte extinctus est. Hic locus inde ad huius casus memoriam conservandam *canis luctus* (*κυνὸς θρῆνος*) appellabatur. Cf. Tzetz. Chil. IV. v. 245. Movetur rursus difficultas quoniam Aelianus et Pausanias non videntur inter se consentire de loco, quo sepulcrum Eupolidis collocatum erat, definiendo. Asopus fluvius est Boeotiae, qui in hac disputatione locum non habet; alius eiusdem nominis, quamvis minor et deterioris famae (Pausan. II. 5.), Sicyonis campos percurrit. Hunc traiicit Pausanias a septentrione proficiscens et ad laevam Eupolidis sepulcrum conspici dicit; iis vero, qui in Corinthiorum regione versantur a laeva est insula Aegina, quam inde in conspectum venisse Eupolidisque sepulcrum monstrasse valde credibile est, nisi unum alterumve locum aut parum accurate ex-

pressum aut corruptum existimare velis. Tota res tam difficilis est et diversis diversorum testimoniis obscurata, ut dubitem, quin aliquis discussis nebulis luce satis clara hanc disquisitionem illustret. Nihil sane tam difficile est, quin quaerendo possit investigari; hoc tempore disruptus sit nodus, alio fortasse solvetur. Eupolim mortuum esse versus finem belli Peloponnesiaci assecutum nondum aetatem nimis provectam, testimonia chronologica veterum confirmant. Floruit enim circa Olympiadem octoagesimam octavam et iuvenis dicitur fabulas docuisse in scena.

Interpretum Eupolidis nullus commemoratur praeter Galenum, qui se libros tres *τῶν παρ' Εὐπόλιδι πολιτικῶν ὀνομάτων* composuisse ipse testatur (De libris propriis in fin. Ed. lat. Basil. T. I. p. 50.).

In sermone Eupolidis magna conspicitur vis, sublimitas et magnificentia; imitabatur Cratinum, ita vero, ut eius atrocitatem et in conviciandis Atheniensium moribus severitatem (*τὸ λοίδορον καὶ σκαιὸν*) iocis multifariis et ridendo paululum leniret, suumque impetum in viros potentissimos imminueret. Propterea summa cum voluptate comoediae lectitabantur atque Ptolemaeo Hephaestionis filio teste suppositam capiti Eupolidis comoediam, quae *Ὑβριστοδίκαι* inscribebatur, Ephialtes nobilis Atheniensis, cum moreretur, habuisse dicitur (Phot. Biblioth. 151. a. 11. ed. Bekker.). Porro versus Horatii Sat. II. 3. 11.

Quorsum pertinuit stipare Platona Menandro,
Eupolin, Archilochum, comites educere tantos?

luculenter demonstrant, quantus fuerit noster poeta, quem propter classicam dignitatem in comoedia antiqua prae ceteris clarum exhibet poeta Venusinus, ita tamen ut tantos comites non de eorum amplis voluminibus, quam potius de insigni auctoritate intelligere videatur. Prio-

rem opinionem ex Schol. Acr. secutus est magnus Bentleius. Cf. Heindorf. ad Horat. l. l.

Eupolis atque Cratinus in adumbrandis fabularum argumentis diversum consilium secuti sunt; hic e deorum et heroum mythis vel e veteri cuiusvis ordinis historia argumentum haustum aut illud ipsum comice tractabat, aut comparatione inde instituta ad suamque aetatem relata aequales suos atrociter castigabat; ille in sua aetate omnino fere subsistens rei publicae Atheniensium labem et vitia notabat, veluti sententiis, quibus Atheniensium in capiendis consiliis summam temeritatem (*δυσβουλίαν*) demonstrabat:

Οὓς δ' οὐκ ἂν εἵλεσθ' οὐδ' ἂν οἰνόπτας πρὸ τοῦ,
νυνὶ στρατηγοὺς λεύσσομεμ· ὦ πόλις, πόλις,
ὡς εὐτυχὴς εἶ μᾶλλον ἢ καλῶς φρενεῖς!

Athen. X. p. 425. A. Suidas v. *Ἀθηναίων δυσβουλία,* qui sua descripsit ex Scholiasta ad Aristoph. Nub. 350. eandem sententiam ex Eupolide uberius exponit his versibus:

Καὶ μὴν ἐγὼ πολλῶν παρόντων οὐκ ἔχω τί λέξω,
οὕτω σφόδρ' ἀλγῶ τὴν πολιτείαν ὁρῶν παρ' ἡμῖν.
ἡμεῖς γὰρ οὐχ οὕτω τέως ᾠκοῦμεν, ὦ γέροντες·
ἀλλ' ἦσαν ἡμῶν τῇ πόλει πρῶτον μὲν οἱ στρατηγοὶ
ἐκ τῶν μεγίστων οἰκιῶν πλούτῳ γένει τε πρῶτοι,
οἷς ὡσπερεὶ θεοῖσιν ηὐχόμεσθα δ' ὅποι τύχοιμεν
στρατευόμεσθ' αἱρούμενοι καθάρματα στρατηγούς.

Stob. Serm. 43. 9. In his ut in multis aliis Aristophanes Eupolim imitatus est; cum priori fragmento conferri meretur locus in Aristophanis Nubibus 583. Eccle-siaz. 471. et Schol. ad l. c., cum altero conferatur Aristophanes in Ranis 730. Viri docti ad hunc locum scite monuerunt Aristophanem *φαρμακοὺς* (745.) dixisse eos, quos Eupolis *καθάρματα*; ita enim explicat Scholiasta: *φαρμακοῖσι, τοῖς λεγομένοις καθάρμασιν.* Quanta simili-

tudo inter Eupolidis et Aristophanis locum, qui sequitur v. 746. intercidit, testatur Eupolidis fragmentum apud Stobaeum Serm. IV. 33.

Similes sententiae de civitatis Atheniensium misera conditione continentur his Eupolidis versibus:

Ὦ καλλίστη πόλι πασῶν, ὅσας Κλέων ἐφορᾷ,
ὡς εὐδαίμων πρότερόν τ' ἦσθα, νῦν τε μᾶλλον ἔσει.

Hephaest. Enchir. p. 108. 13. Herm. epit. doctr. metr. §. 507. et

Ἔδει πρῶτον μὲν ὑπάρχειν πάντων ἰσηγορίαν.
πῶς οὖν οὐκ ἄν τις ὁμιλῶν χαίροι τοιᾷδε πόλει,
ἵν' ἔξεστιν πάνυ λεπτῷ κακῷ τε τὴν ἰδέαν.

Priscian. p. 1330, 3. ed Putsch.

Hanc civitatis labem, processam a mutandarum legum libidine, qua demagogi flagitiosissimi abutebantur, et morum depravatione adductam, in fabula Δῆμοι inscripta Atheniensibus depinxit coloribus vividissimis et summos illos et eximios demagogos Miltiadem, Aristidem, Solonem et Periclem ab inferis excitabat, ut imperium abrogarent sui temporis imperatoribus, adolescentulis luxuriosis, qui virtutes imperatorum non in mente haberent sed in pedum malleolis repositas (ἐν τοῖς σφυροῖς ἕλκοντα τὴν στρατηγίαν). Illustre fragmentum emendavit et divulgavit Valckenarius in Diatribe Eurip. p. 252. e scholiis ineditis Aristidae T. III. p. 374., quae possidebat Petrus Burmannus Secundus. Rem actam esse in in scena testatur praeter Plutarchum in Pericl. c. 3. Aphthonius Progymnasm. c. XI. de Idolopoeia disserens; fuere enim horum ab inferis vocatorum personae ad vivi vultus similitudinem accomodatae. Aphthonii sententiam, eos nil locutos esse in scena, refutat Plutarchi locus (Pericl. c. 24.), ubi Pericles de filio spurio Pyronidem quaedam interrogat. A Miltiade haud dubie graves et insignes sententiae proferebantur et formulam

iurisiurandi per pugnam Marathoniam a Longino de Sublim. sect. XVI. 5. servatam ipsi tribuendam esse, non sine probabilitate coniicere mihi videor.

Illustrem auctoritatem, quam in priori commentatione, exorsus a Cratino, collectis comicorum salsissimis dicteriis, Pericli, Atheniensium principi imminuimus et paene detraximus, testimoniis quibusdam Eupolidis restituere quodammodo et amplificare conabimur. Pericles summam dignitatem assecutus, sine ulla hilaritate singularem et admirabilem characterem orationibus suis impressit atque, cum Atheniensium animos acerbitate magis perfringeret quam suavitate perfunderet, non tantum memoriam concinnitatis suae sed cum delectatione aculeos etiam relinquere solebat in animis eorum, a quibus erat auditus (Cic. Brut. c. 9. cf. de orat. III. 34.). Ad hanc facultatem consequendam summo ingenii lumine, eloquentia usus, medullam Suadae, quam in eius labris sessitavisse aiunt veteres, scite infudit audientium pectoribus, ne severitate offenderentur (Cic. Brut. c. 15.). Hoc de suaviloquentia et facundia Periclis iudicium fontem habet in Eupolidis Demis, unde haec verba nobis servata sunt:

Κράτιστος οὗτος ἐγένετ᾽ ἀνθρώπων λέγειν,
ὁπότε παρέλθοι, ὥσπερ οἱ ἀγαθοὶ δρομεῖς,
ἐκ δέκα ποδῶν ᾕρει λέγων τοὺς ῥήτορας·
ταχὺς λέγειν μὲν, πρὸς δὲ γ᾽ αὐτοῦ τῷ τάχει
Πειθώ τις ἐπεκάθισεν ἐπὶ τοῖς χείλεσιν,
οὕτως ἐκήλει, καὶ μόνος τῶν ῥητόρων,
τὸ κέντρον ἐγκατέλιπε τοῖς ἀκροωμένοις.

Quot scriptores veteres hunc locum imitati sint, vix est quod moneam; nam fere omnes hoc flore Eupolideo decerpto orationem suam ornarunt. Nubem locorum invenies apud Wyttenbachium ad Plut. De sera num. vind. p. 2, permultos praeterea locos ipse collegi. Ad

labem, qua tertii versus metrum laborat, eluendam, multi interpretes manum auxiliarem attulerunt (cf. interpr. a Wyttenb. laudatos et Wasii Senarium sive de licentia vett. poetar. p. 240.); Wyttenbachius ad l. c. omnium dexterrime locum emendavit, ut equidem eum adscripsi, non quidem ex mera coniectura, quam potius e Themistio (orat. XXVII. p. 339. C.), qui nostrum locum exhibens scribit οὐκ ἐκδέκα cet. et Isidoro Pelusiata (L. IV. epist. CCV. p. 102.) simili modo scribente ὃς ἀπὸ δέκα ποδῶν cet. Vulgo enim legebatur ἑκκαίδεκα ποδῶν cet. omnino contra metri rationem. Mentem Eupolidis optime indicavit vir doctus his verbis: *Pericles cum in concionem prodiret, ut egregius cursor, quamquam decem pedum intervallo post suos adversarios cursum iniit, tamen eos consequitur ac pervertit, ita reliquos oratores dicendi copia vicit ac post se reliquit.* De comparatione inter cursorem et oratorem instituta memini exemplum legere apud Aristophanem (Nub. 428.), quod ad nostrum locum probe intelligendum multum confert:

Στρεψ. Ὦ δέσποιναι, δέομαι τοι νῦν ὑμῶν τουτὶ πάνυ μικρόν,
τῶν Ἑλλήνων εἶναί με λέγειν ἑκατὸν σταδίοισιν ἄριστον.

Simile exemplum legitur in Ranis 90. Synesii epist. 134. — Summam hanc dicendi facultatem Cratinus quoque in Pericle notavit, sed fortius, ut solet, rem expressit:

Τί οὖν, ὦ σὺ μεγίστη γλῶττα τῶν Ἑλληνίδων —

Cf. Aristid. πρὸς Πλάτωνα λόγος δ'. Phot. Biblioth. 411. b. 25. ed. Im. Bekker. ibid. 424. a. 21. Aristid. T. II. p. 9. (ed. Canter. T. III. p. 33.) et T. II. p. 129. (Canter. III. 214.).

Cum nondum satis accurate in singularum fabularum Eupolidis argumenta investigarim, liceat tamen de nonnullis tradere, quidquid certe erui poterat. Eupolide

non propter Baptas acerba et praematura morte Alcibiade iubente interiisse, ex iis, quae supra disputata sunt, elucet; hoc loco alia quaestio oritur de argumento ex poetae nostri fragmentis veterumque testimoniis eliciendo. Pleraeque Graecorum civitates, inprimis Athenienses, qui cum coloniarum e prytaneo suo emissarum multitudine, tum dominatione atque finibus a Propontide usque ad Cyrenen extensis et propagatis reliquas omnes superabant, Eupolidis temporibus permulta sacra et religiones exercebant, novosque deos asciverant, quibus nocturnas pervigilationes instituere easque magno cum studio celebrare solebant. Graecorum mysteria cum antiquioribus temporibus ita essent constituta, ut, si methodum, qua in iis celebrandis usi sunt, minime probamus, quin summo numine omnino indignam habemus, bonum consilium finemque valde laudabilem sequerentur illi, qui ipsis initiati erant, praeterea permulta eximia peperisse atque in vitam hominum, quos ex agresti immanique statu excultos ad humanitatem et mitigatos reddiderunt, transtulisse videantur: inductis tamen externorum populorum festis et sacrificiis foedas libidines arctissime iis coniunctas in mores iuventutis hominum stultitia quasi furias quasdam immisit et incitavit. Nec tamen dii externi, quamvis religionibus summis celebrati templisque artificiosissimis ornati, cum reliquis diis indigenis eodem iure eademque auctoritate fruebantur; sunt potius θεοὶ ψηφίσμενοι, ἐπίθετοι, ξενικοὶ, ξένοι et res ipsa θεοξενία vocatur. Comici non solum summorum ducum actiones et flagitia castigantes, sed totius populi errores et libidines flagellantes materiam satis largam nanciscebantur, qua usi huius conaminis et consuetudinis deterrimam foeditatem demonstrarent eamque hoc modo radicitus tollere studerent. Tradit Cicero (De legg. II. c. 15.), Aristophanem novos deos et in his colendis nocturnas per-

vigilationes sic vexasse, ut apud eum Sabazius et quidam alii dii peregrini iudicati e civitate eiiciantur. Huius castigationis exempla multa exstant in Aristophanis comoediis veluti in Nubibus 298. sqq.

Παρθένοι ὀμβροφόροι,
ἔλθωμεν λιπαρὰν
χθόνα Παλλάδος, εὔανδρον γᾶν
Κέκροπος ὀψόμεναι πολυήρατον,
οὗ σέβας ἀῤῥήτων ἱερῶν, ἵνα
μυστοδόκος δόμος,
ἐν τελεταῖς ἁγίαις ἀναδείκνυται,
οὐρανίοις τε θεοῖς δωρήματα,
ναοί θ' ὑψερεφεῖς καὶ ἀγάλματα,
καὶ πρόσοδοι μακάρων ἱερώταται,
εὐστέφανοι τε θεῶν θυσίαι, θαλίαι τε
παντο δαπαῖς ἐν ὥραις —

Cf. Pacem 276. et 374. Huc pertinet quoque locus ex Avibus inde a v. 1495. et 1565. sqq. Unum maxime fragmentum Aristophanis e fabula, quae *Ὧραι* inscribebatur, hanc disputationem egregiè confirmat; dicuntur enim Athenienses tot deos colentes civitatem suam Aegyptum fecisse pro Athenis:

Ἀπέλαυσαν ἄρα σέβοντες ὑμᾶς, ὡς σὺ φῄς τίη τι
Αἴγυπτον αὐτῶν τὴν πόλιν πεποίηκασ' ἀντ' Ἀθηνῶν.

Praefero *πεποίηκασ'* scribere ex MSS. cum vulgo legatur *πεποίηκας.* —

Eodem modo dicere licet Athenienses suam ipsorum urbem in Thraciam mutasse, unde permulta sacra susceperant. Mitto Priapi nocturnas religiones et secreta festa, quorum sacerdotes mystas vocat Petronius; mitto aliorum mysteria nefanda et humanitate prorsus indigna. Nonnulla moneamus de Cotytto, dea Thracum, quae cum Cotyde una eademque esse videtur. Hanc Thraciae deam esse docet Strabo X. 470. ed. Casaub. *Τούτοις δ' ἔοικε καὶ*

τὰ παρὰ τοῖς Θρᾳξὶ τά τε Κοτύττια καὶ τὰ Βενδίδεια, παρ' οἷς τὰ Ὀρφικὰ τὴν καταρχὴν ἔσχε. Τῆς μὲν οὖν Κότυος τῆς ἐν τοῖς Ἠδωνοῖς Αἰσχύλος μέμνηται καὶ τῶν περὶ αὐτὴν ὀργάνων. Sacra eius, Cotyttia dicta, omni lasciviae et impudicitiae genere fuere infamia, unde Horatius in Epod. XVII. 56. *Sacrum liberi Cupedinis.* Cotyttia autem, ut scribit Porphyrius, sacrum Cupidinis esse dicuntur, quia maleficia haec, quae per inferna sacra fiunt, ad amorem pertineant, unde talia sacrificia impudica ad amorem pertinentia a sacrificis tractari apparet. Apud Suidam v. *Κότυς* appellatur *δαίμων παρὰ Κορινθίοις τιμώμενος, ἔφορος τῶν αἰσχρῶν* (foedae libidinis praeses. Cf. Suid. v. *Θιασώτης* et Hesych. v. *Κοτυττώ*). Cum haec scriberem, in notitiam meam venit egregia commentatio Buttmanni: *Ueber die Kotyttia und die Baptae*, in qua vir doctus locos de nostra re a multis passim collectos acute disponit et saepe dextre emendat. Communicat l. c. p. 2. locum hactenus mihi plane ignotum e codice veteri proverbiorum: „*Cotyi sacrificare, calamistratum esse: huic enim deae apud Corinthios cultae intemperantes ac calamistraturae studiosi formamque venditantes sacrificabant.*" Apud Theocritum (Idyll. VI. 40.) saga conciliandis amoribus serviens vocatur *γραία Κοτυτταρίς*· tales vetulae aut Lunam deducentes de coelo aut alia imaginantes amoris impudici sunt auctores; praefuit his sagis Cotytto, et auxilium tulit occupatis vel in quaerendis viris vel ut furiosam explerent libidinem mulieres. Hunc turpem et obscoenum ritum confirmat Iuvenalis Sat. II. 91.

Talia secreta coluerunt orgia taeda
Cecropiam soliti Baptae lassare Cotytto,

quandoquidem illum comparat cum turpissimo coetu feminarum Romanarum sacra in honorem Bonae Deae instituentium, quibus similia fuisse videntur Isidis sacra ab

Othone celebrata (Sueton. Othon. vit. c. XII. Domitian. c. I.). Intelligitur praeterea horum mysteriorum sacerdotes nominatos esse Baptas; indeque fabulam Eupolidis inscriptam esse, confirmat vetus Scholion ad Iuvenalis verba: „Cecropiam soliti Baptae] Baptae, titulus libri, quo impudici describuntur ab Eupolide, qui induxit Athenienses ad imitationem feminarum saltantes. Lassare psaltriam] Baptae, ergo molles, quo titulo Eupolis comoediam scripsit, ob quam ab Alcibiade, quem praecipue perstrinxit, necatus est.“ — Sacra noctu celebrata fuisse declarant verba *secreta taeda* sc. *ad extinctam lucernam*, quod Martialis XII. 43. dixit de eiusmodi rebus libidinosis. Cf. interpr. ad Iuvenal. ed. Henninii l. l. et Politian. Miscellan. I. c. 10.

Quae cum ita sint, nondum mihi persuasissimum habeo, quod Cl. Buttmannus in fine commentationis de nostra fabula constituit, cum potius res per se, ut supra monitum est, et veterum documenta inclinare videantur in hanc sententiam: Cotytto et sacra habuit Athenis et mystas, qui adhibitis certis ceremoniis alios his mysteriis initiabant. Deos undique in sua urbe conquisiverant Athenienses atque multum ponderis, ut mihi quidem videtur, habet vocabulum *Cecropia*, quo doctus Iuvenalis utitur atque diserte Athenienses significat horum sacrorum propagatores; neque credibile est Synesii (ep. 32.) sententiam, Cotytto fuisse quasi supremam deam Atheniensium ex singulari Eupolidis fabula universim et distincte traditam esse, nisi alia certa testimonia ante oculos habuisset auctor. Inscriptionem fabulae ex ipsis horum sacrorum ceremoniis videtur sumsisse poeta, quoniam ex ritu vetustissimo in omnibus fere sacris homines lustrabantur lavatione, quem actum *καθαρισμὸν* apud Graecos in nostra autem fabula sine dubio *βάπτρειαν*

nominatum legimus Poll. VIII. 169; voce *βαπτειν* utitur Eupolis in hoc versu:

Βάπτειν τὰ κάλλη τὰ περίσεμνα τῇ Θεῷ.

Etym. M. p. 486. 47. Hunc versum fragmentis nostrae fabulae addendum esse iam dudum conieci; metrum emendavit Meineke in Cur. crit. p. 17. (Perperam citatur versus apud Meinekium). Adfuerunt igitur sacerdotes *βαπτίζοντες* seu *βάπται*, non vero ita, ut hoc nomen pro termino technico haberetur, sed ab Eupolide hac significatione fictum varie iocandi ridicularumque actionum satis largam copiam praeberet. Simili modo Socrates *λεπτοτάτων λήρων ἱερεὺς* (Aristoph. Nub. 358.) inducitur et Strepsiadem (v. 254. sqq.) ridicula solemnitate consecrans, tenuissima farina totum conspergens et tingens Baptae munere quodammodo fungitur. Aliam interpretationem, ut videtur, non satis probabilem sequitur Hemsterhusius ad Luciani Nigrin. c. 14. T. I. p. 53. ed. Reitz. et Reitzius ad Lucianum adversus indoctum c. 27. T. III. p. 122. Sententiae a G. Valla in commentario ad Iuvenalem Alcibiadi traditae fontem, quem Cl. Buttmannus aegre desiderat, in disticho Graeco, quod supra retulimus, vel in alio eiusdem argumenti esse non sine probabilitate coniicere mihi videor.

Strabo X. p. 470. ex Aeschyli fragmentis sacra deae ita describit, ut cum Phrygiis convenire videantur; nominantur multa instrumenta in orgiis his adhibita veluti *βομβύκη* (*αὔλημα πρέπον ὀργίοις* Poll. IV. 82.), aeratae crepitaculae, tympana cet. In fabula Eupolidis mysteria admodum tumultuosa celebrantur, ut solent esse Thracum sacra; adhibebatur rhombus, instrumentum musicum, quod pulsum magnum edebat tumultum (Schol. ad Apollon. Rhod. I. 1139. IV. 144. Phot Lex. v. *Ῥόμβος*. Etym. M. p. 707. 30.), neque abstinebant tympanis

et trigonis ut illa Athenaei ex nostra fabula laudata demonstrant IV. p. 138. F.:

Ὃς καλῶς μὲν τυμπανίζει
Καὶ διαψάλλει τριγώνοις.

Coronae in sacrificiis usitatae mentio fit apud grammaticum in Bekkeri Anecd. Gr. p. 477. 8. Vehementer potatum esse declarant hi versus:

Ἀλλ' ἐξομελεῖς με ναὶ μὰ τὴν ἀμυγδαλῆν,

apud Aelium Herodianum περὶ μον. λέξ. in Dindorf. Grammatt. Gr. 6. 24. et

Ἀνόσια πάσχω ταῦτα, ναὶ μὰ τὰς Νύμφας,
Πολλοὶ μὲν οὖν δίκαια, ναὶ μὰ τὴν κράμβην.

Athen. IX. 370. B. Priscian. de metr. comicis p. 1328. 12. ed. Putsch. et illae denique exclamationes ebriis usitatae:

Εὐαὶ, σαβάι!

Io. Alexandrin. Τονικὰ παραγγέλματα. ed. Dindorf. 36. 16. Comoediam vero completam fuisse cuiusvis generis flagitiis declarant haec apud Lucianum advers. indoct. c. 27. T. III. p. 122. ed. Reitz: Τὸν δὲ Ἀριστοφάνην καὶ τὸν Εὔπολιν ὑποδέδυκας; ἀνέγνως καὶ τὰς Βάπτας τὸ δρᾶμα ὅλον; εἶτ' οὐδέν σοι τἀκεῖ καθίκετο οὐδ' ἠρυθρίασας γνώρισας αὐτά;

In Baptis Chaereas perstringebatur (Schol. ad Aristoph. Vesp. 685.) et Alcibiades, cuius vita inconstans et impietate inquinata satis nota est ex Plutarchi descriptione. Locos multos collegit Boeckhius in libro: Staatshaushalt. der Athener I. p. 315. Cf. Athen. XII. p. 334. Insanam eius libidinem comico sale perfricuit Eupolis in Parasitis. Athen. XII. 535. A. Plut. Alcib. c. XIII.

Pericle summas rei publicae Atheniensium tenente semina interitus et perniciei sparsa, orto bello Peloponesiaco mortuoque Pericle ipsum fructum protulerunt. Athenienses antea victoriis clarissimis terra marique reportatis illustres et opibus undique collectis tantam divi-

tiarum vim, in quemcunque ordinem ideoque vilissimae plebeculae gregem fusam, coacervarunt, ut omni luxuriae foedissimisque libidinibus sese darent. Inde pessimus ille Atheniensium status, popularis regiminis effrenata licentia, potentissimorum flagitia, arrogantia, fraudes, inertia demagogorum vanis orationibus donisque perniciosissimis aucta, plebis porro insanientis summa levitas et inconstantia. Iam orto bello Peloponesiaco et infeliciter gesto, omnes illi fontes luxuriose vivendi absorbebantur et quasi evanescebant; populus autem, qui opulentiam semel gustaverat, inertiaeque indulserat, in posterum quoque hoc otio frui cupiebat. Ita factum est, ut innumeri homines divitiis orbati, nihil agendo occupati, per totum diem in foro versarentur exspectantes aliquem nobiliorum vel opulentiorum, cui blandiloquentia et dicteriis exoptatis placerent, deinde ad lauta convivia invitati, inter epulandum scommatis et leporibus variam praeberent delectationem. Egregium vocabulum, quo Eupolim in describendis parasitis eleganter usum esse testatur Athenaeus III. p. 100. B, est *κολιοδαίμονες*, qui felicitatem ventre metiuntur, quorum nempe deus est venter, *ὧν ὁ θεὸς ἡ κοιλία*, ut, monente Casaubono, Paulus Apostolus ad Philipp. 3. 19. postea scripsit; similiter sensum expressit Cratinus exquisito vocabulo *γαστροχάρυβδις* (Bekkeri Anecd. p. 33. 18.). *Κόλακες*, quo nomine Eupolidis fabula inscribitur, proprie sunt adulatores vel assentatores; Eupolis vero et veteres poetae eos maxime castigasse dicteriisque salsissimis persecuti esse videntur, qui hanc deteriorem, quam supra exposuimus, vitae conditionem excolebant. Haec sententia confirmatur primum testimonio Athenaei VI. 236. E., cuius verba haec sunt: *οἱ δ' ἀρχαῖοι ποιηταὶ τοὺς παρασίτους κόλακας ἐκαλοῦν· ἀμφ' ὧν καὶ Εὔπολις τῷ δράματι τὴν ἐπιγραφὴν ἐποιήσατο,* deinde ipsis fragmentis

huius fabulae apud Photium, Suidam, Athenaeum, Scholiastam Aristophanis, alios laudatis, quae fere omnia conviviorum apparatum, parasitorum voracitatem et gulam inexplebilem explicant. Veluti apud Plutarchum de Adulat. et amicit. c. 13. his verbis:

Γαστὴρ ὅλον τὸ σῶμα, πανταχῇ βλέπων
ὀφθαλμὸς, ἕρπον τοῖς ὀδοῦσι θήριον,

parasiti effigies adumbratur, amici *περὶ τάγηνον καὶ μετ' ἄριστον*, ut Eupolis ait (De hoc loco cf. Schaeferi Meletem. crit. in Dionys. art. rhetor. p. 134.); qui adulatores eo temeritatis processerunt, ut nec igne nec aere nec ferro a coena Calliae arceri posse dicantur in nostra fabula (cf. Plutarch. in libello: Maxime cum principibus viris philosopho esse disputandum in fine. Suid. v. *Λαφυγμός*. Bekker. Anecd. gr. p. 96, 17. Athen. VII. p. 286.). Calliam Hipponici filium patrimonia profudisse luxu et dilapidasse, eiusque cum parasitis morem in hac comoedia exponi monet Scholiasta ad Aristophanis Aves v. 284.

Acta est haec Eupolidis fabula Archonte Alcaeo, anno tertio Olympiadis octogesimae nonae (a. Chr. 421.) et praeter parasitos universim, Alcibiades propter insanam et libidinosam vivendi rationem (Athen. XII. 535. A) et Protagoras Teius, sophista et Callias (Athen. XI. 506. F. VII. 268. B) quantum equidem scio, potissimum perstringebantur. Protagoram ut Athenis versantem induxit Eupolis: Amipsias autem in Conno, fabula biennio prius in scenam producta (Ol. LXXXIX. 1.) Protagoram in sophistarum choro non recenset. Liquet igitur intra illud tempus eum advenisse (Athen. V. 218. C.). Locus Diogenis Laertii IX. 50., quem viri docti varie intellexerunt et interpretati sunt, mihi fere persuadet, Protagoram sophistam ipsum ab Eupolide in scenam productum esse; nam illa persona, quae sententiam a Diogene Laertio servatam:

Ἔνδοθι μέν ἐστι Πρωταγόρας ὁ Τήϊος,
ὃς ἀλαζονεύεται μὲν ἀλιτήριος
περὶ τῶν μετεώρων, τὰ δὲ χθαμᾶθεν ἐσθίει

in scena protulit, de Protagora quasi de persona totius fabulae vel saltem huius rei, de qua sermo est, participe loquitur; inter parasitos enim diserte numeratur. Cf. Plutarch. Sympos. VII. 1. Macrob. Saturn. VII. c. 15. Athen. I. p. 23. F. Porson. Advers. 75.

Chorus, ut inscriptio indicat, e parasitis constabat atque illustre fragmentum Eupolidis legitur ex cantico chori nostrae fabulae servatum apud Athenaeum VI. p. 236. E. F. Post primos conatus clarissimi viri Hug. Grotii, qui hoc canticum chori soluta fere oratione scriptum mira doctrina ad metri leges adstrinxit, Hermannus in Elem. doctr. metr. p. 585. de constituendo hoc metri genere optime est meritus, eiusque versuum dispositionem et emendationem in plurimis secutus sum. Est autem metrum choriambicum, usurpatum ab Anacreonte, quod his pedibus constat:

–́ ⏑ ⏑ — | ⏑ –́ ⏑ — || –́ ⏑ ⏑ — ⏑ — ⏑̄

Ἀλλὰ δίαιταν, ἣν ἔχουσ' οἱ κόλακες, πρὸς ὑμᾶς
λέξομεν· ἀλλ' ἀκούσαθ', ὡς ἐσμὲν ἅπαντες κομψοὶ
ἄνδρες. Τοῖσι πρῶτα μὲν παῖς ἀκόλουθός ἐστιν
ἀλλότριος τὰ πολλά· μικρὸν δὲ τελοῦμεν αὐτῷ.
Ἱματίω δέ μοι δύ' ἐστὸν χαρίεντε· τούτοιν
οὖν μεταλαμβάνων ἀεὶ θάτερον, ἐξελαύνω
εἰς ἀγοράν· ἐκεῖ δ' ἐπειδὰν κατίδω τιν' ἄνδρα
ἠλίθιον, πλουτοῦντα δ', εὐθὺς περὶ τοῦτον εἰμί.
Κἄν τι τύχῃ λέγων ὁ πλούταξ, πάνυ τοῦτ' ἐπαινῶ
καὶ καταπλήττομαι, δοκῶν τοῖσι λόγοισι χαίρειν.
Εἶτ' ἐπὶ δεῖπνον ἐρχόμεσθ' ἄλλυδις ἄλλος ἡμῶν,
μᾶζαν ἐπ' ἀλλόφυλον· οὗ δεῖ χαρίεντα πολλὰ
τὸν κόλακ' εὐθέως λέγειν, ἢ φέρεται θύραζε.
Οἶδα δ' Ἀκέστορ' αὐτὸ, τὸν στιγματίαν, παθόντα·

σκῶμμα γὰρ οὔ ποτ' ἔλεγεν· εἶτ' αὐτὸν ὁ παῖς θύραζε
ἐξαγαγὼν ἔχοντα κλοιὸν παρέδωκεν Οἰνεῖ.

Versus quartus in libris varie corruptus est et mutilatus, a primis editoribus asterisco notatus atque colligi potest ex annotatione quadam Hugonis Grotii alteram partem huius versus in codicibus plane abfuisse. Lectio ex codicibus hausta haec est: *μικρὸν δέ τι κᾶμον αὐτοῦ*, quam, cum sententiam non satis commodam praeberet, Casaubonus mutavit in *μικρὸν δέ τι κατὰ λυμάτιόν που*, quod vertit: *parvam domunculam.* Cum vero Grotii acumine totum fragmentum ad iustum metrum redigeretur, Casauboni editio paulo prius prodiret, videtur factum esse, ut vir summus in loco nostro emendando versus nondum suspicaretur ideoque contra metri rationem corrigeret. Grotius scribit *μικρὸν δέ τι ἱκανὸν αὐτῷ* et ex versione latina patet eum cogitasse sibi aliquem victu exiguo contentum. Haec coniectura, sententiam si considero, non displicet, metro tamen non satisfacit; est igitur relinquenda. Post conamina Porsoni et aliorum Hermannus quoque l. l. nostrum locum tentavit scribens: *μικρὸν δέ τι κἀμὸν αὐτοῦ*, atque cum in constituendo metro doctissime, ut solet, rem suam pertractasset, sensum minus feliciter assecutus esse videtur. His enim verbis sententiam reddit: *servulum habeo plerumque alienum, in quo mihi nonnisi paullum quid iuris est.* Primum enim non intelligo, quo modo haec sententia singularis ac perspicua verbis illis, quae secutus est vir egregius, inesse possit; tum vero, si eam inesse concederem, miror Eupolim, qui, si hoc scripsisset, meram tautologiam posuisset; nam in hominem nobis alienum nihil iuris nobis esse exercendum, manifestum est. Si haec statueremus, posterior versus pars priori contineretur, de qua re vehementer dubito. Deinde vocabulum *κἀμὸν* propterea me offendit, quoniam,

cum pluralis numerus in praecedentibus parasitos (sive chorum ipsum sive choragum loquentem ponamus) notaret, singularis numerus ieiune sequitur. Non me fugit poetas in comoedia pariter ac tragoedia chorum, quatenus totum aliquod eum existimarent, singulari numero, quatenus singulos respicerent, plurali numero de se ipso loquentem in scenam induxisse; concedo quoque in uno eodemque cantico hanc sententiam commutatam legi et multum saepe valere ad varietatem elegantem efficiendam, sed despero, quin loci inveniantur, qui in una simul eademque enunciatione chorum et singulari et plurali numero sese nominantem exhibeant. Quae cum ita sint, alius lectionis proponendae periculum feci et sic legendum esse statuo:

μικρὸν δὲ τελοῦμεν αὐτῷ.

Parasiti ipsi inopia pressi, cum proprium servum non habeant, alienum, qui divitum nomina et res bene noscit, mercede quidem conducunt, sed vilem tantum reddunt mercedem. *Τελεῖν* vero dicitur de solvenda pecunia, quam et civitati et singulis debemus, itaque hoc vocabulo usus, paucissimis tantum litteris mutatis et sensui et metro satisfacere omnino arbitror.

Versus quintus hoc modo legitur:

Ἱματίω δὲ μοι δύ' ἐστὸν χαρίεντε· τούτοιν
μεταλαμβάνων κ. τ. λ.

Lacunam, quae statim ab initio versus sexti in codicibus observatur, Grotius explevit addita particula *οὖν*. Hermannus *ἓν* ponens et commate interpungens post *ἀεὶ* sententiam totam perturbasse videtur. Sine dubio ipse huius mutationis infirmitatem perspexit et versus sic scripsit:

Ἱματίω δὲ μοι δύ' ἐστὸν χαρίεντε τούτω,
οἷν μεταλαμβάνων ἀεὶ θάτερον, ἐξελαύνω
εἰς κ. τ. λ.

At ne hanc quidem emendationem probare equidem possum, cum non credibile sit, parasitos pallia sua omnia secum in scena portasse et distincte auditoribus ostendisse; altero potius induti sunt, duo in universum se possidere commemorant. Haec sententia eo magis commendanda videtur, quum statuendum est haud dubie, scenam fuisse in foro, videlicet ea sede, quam per totum diem presserunt parasiti, inde circumforanei dicti; altero pallio indutos forum se petere ipsi confirmant versu septimo. *Τούτοιν* est praeterea lectio omnium codicum, quam aegre relinquo.

Hyperbolus pessimus homo et flagitiosissimus civis ex infimo loco tandem est summos honores adeptus (Aelian. Var. Hist. XII. 3.); fuit enim *λυχνοποιὸς* (Aristoph. Nub. 1064. Eq. 1301. Vesp. 1001.), post Cleonem rei publicae gubernationi admotus (Pac. 680.) atque antea obscurus (Nub. 592. 624.) magna auctoritate valuit apud Athenienses. Eupolis ut scelestam vitam eius satis accurate depingeret comoediam scripsit *Maricam*, eumque sub huius nominis persona in scenam induxit (Schol. ad Aristoph. Nub. 553. 592. Plutarch. Nic. c. 4. Schol. ad Aristoph. Ran. 577.). Maricam interpretatur Hesychius *Κίναιδον· οἱ δὲ ὑποκόρισμα παιδίου ἄῤῥενος βαρβαρικοῦ.* Quintilianus Inst. or. I. 10. p. 106. ed. Burm. testatur Maricam confiteri apud Eupolim nihil se scire ex musicis nisi litteras; Maricae nomine vero exagitatum esse Hyperbolum, hominem, cuius improbitatem veteres Atticorum comoediae praecipue notarunt (Cic. Brut. c. 62.) ex his Aristophanis versibus intelligitur (Nub. 547. ed. Herm.):

Οὗτοι δ', ὡς ἅπαξ παρέδωκον λαβὴν Ὑπέρβολος,
τοῦτον δείλαιον κολετρῶσ' ἀεί, καὶ τὴν μητέρα.
Εὔπολις μὲν τὸν Μαρικᾶν πρώτιστον παρείλκυσεν,
ἐκστρέψας τοὺς ἡμετέρους Ἱππέας κακὸς κακῶς,

προσθεὶς αὐτῷ γραῦν μεθύσην, τοῦ κόρδακος οὕνεχ', ἣν Φρύνιχος πάλαι πεποίηχ', ἣν τὸ κῆτος ἤσθιεν. sqq. Aristophanes de sua arte magnopere gloriatur et Eupolim, cum Maricam componeret, ex Equitibus, fabula celeberrima omnia dicit spoliasse et ad perstringendum Hyperbolum usurpasse. Hanc iniustam criminationem in Baptis ita a se removet noster poeta, ut demonstret, se confecisse Aristophani Equites, dicens:

τοὺς Ἱππέας
συνεποίησα τῷ φαλακρῷ τούτῳ κἀδωρησάμην.

Schol. ad Aristoph. Nub. 536. Eq. 1288. ibique Hermannum. Eupolis in Marica matrem Hyperboli videtur risisse, ut ex versibus modo adscriptis apparet, et ex scholiis ad Plutum v. 1038., ubi conferatur Hemsterhusii observatio. Docuit Eupolis Maricam biennio post priores Nubes, scil. post Cleonis mortem Ol. LXXXIX. 3., Archonte Alcaeo. Cf. Sam. Petit. Miscell. I. c. 6. Kuster. p. 55.

Homines molles militiaeque ob nimium otii studium et meticulosum ingenium ineptos perstrinxit in fabula, quae duplici indice *Ἀστράτευτοι* sive *Ἀνδρόγυννοι* inscribitur (Suid. v. *Εὔπολις*), sicut in alia, *Ταξίαρχοι* inscripta, militum vitia notavit et rei militaris apud Athenienses statum suo tempore corruptum et dissolutum. Prospaltios veluti *δικαστικοὺς* traduxit haud dubie in fabula eiusdem tituli (cf. Io. Meursii de populis Atticis dissert. in Gronovii Thes. Antiquitt. Graec. T. IV. p. 783.); fabulis veterum comicorum saepissime indices desumti sunt ab Atticis populis (Hemsterh. ad Aristoph. Plut. p. 47. De vera inscriptione vide Casaubon. ad Athen. VII. p. 326. A.).

Socratem quo rarius eo vehementius tamen perstrinxit in scena Eupolis, ita ut Scholiasta ad Aristophanis Nubes dicat: *ἔπειτα Εὔπολις εἰ καὶ δι' ὀλίγων ἐμνήσθη*

Σωκράτους, μᾶλλον ἢ Ἀριστοφανης ἐν ὅλαις ταῖς Νεφέλαις αὐτοῦ καθήψατο. Cf. Lucian in Piscat. c. 25. T. I. p. 595. Πτωχὸν ἀδολέσχην eum vocabat et

Ἀδολεσχεῖν αὐτὸν ἐκδίδαξον, ὦ σοφιστά.

Etym. M. 18. 10. Memorabiles sunt versus de Socrate apud Scholiastam ad Aristoph. Nub. 97. ex Hermanni sententia choriambici dimetri hoc ordine dispositi:

Δεξάμενος δὲ Σωκράτης
τὴν ἐπίδειξιν . . .
Στησιχόρου πρὸς τὴν λύραν
οἰνοχόην ἔκλεψεν.

cum quo loco conferatur Aristophanes in Nubibus 179. et Schol. ad h. l.

Etenim illud Cratini tum, si unquam alias, evenit τῷ θεάτρῳ νοσῆσαι τὰς φρένας. Socrates vero, quandoquidem sciebat, se in comoedia iactatum iri, theatrum frequentabat atque per totum drama certantibus histrionibus cernebatur a spectatoribus. Tanta erat eius constantia in sustinendo comicorum impetu et in contemnendis Atheniensium facetiis.

Suida teste (v. Εὔπολις) decies victoriam assecutus est Eupolis, fabulas docuit septendecim. E comoediarum catalogo, qui numerum iusto maiorem plerumque exhibere solet, nonnullae haud dubie sunt extrudendae. Μακάρισμος et Μαρικάση in Bekkeri Anecdotis Gr. p. 111, 5. et p. 467, 12. fabulae, ad Eupolim vulgo relatae, suspectae sunt et ad Maricam pertinent. Στεφανοπώλιδες, quae Eupolidis nomen mentiuntur, Eubulo reddendae sunt. Cf. Casaub. ad Athen. IX. p. 384. C. Πύλας, fabulam semel tantum a Scholiasta ad Aristophanis Aves commemoratam, diu iam in schedis meis asterisco notavi, quamquam locum ipsum Eupolidi non abnegaverim. Nonnullas alias, veluti sunt Κλοταί (Erotian. p. 172. ed. Franz.), Δύας (Poll. IX. 27.), Σφιγγὲς (Phot. Lex. Νεα-

νισκεύεται), Δράπεται (Etym. M. p. 176. 51.) num Eupolidi tribuam, incertus haereo; notasse eas hoc loco sufficiat. Hoc tamen pro certo potest affirmari numerum fabularum genuinarum Eupolidis, siquidem spurias removeris omnino quadrare vel saltem propius, quam supra in Cratini fabulis diiudicandis factum est, accedere ad Suidae testimonium.

CORRIGENDA.

Pag. 16 v. 12 et 13 l. *Εὐπάλαμος*.
— 20 v. ult. l. *ad* ante Aristoph.
— 28 v. 18 l. *pruriebant*.
— 31 v. ult. pro a Chr. l. a. Chr.
— 32 v. 8 a f. l. *supellectile*.
— 36 v. 1 l. *φλάσκων*.
— 87 v. 3 deleatur colon.
— 38 v. 6 l. *sc*.
— — v. 7 l. *κάκ'*.
— 40 v. 10 a f. l. *τοῦ*.
— 41 v. ult. l. *gibbus*."
— — v. 11 l. *unde*.
— 43 v. ult. l. *Pollūc*.
— 46 v. 19 l. *Clytaemnestra*.
— 51 v. 5 a f. l. *Boeotios*.
— 10 v. 10 l. *ποντίαν*.
— 73 v. 4 l. *videatur*.
— 77 v. 12 l. Biblioth.
— 92 v. 14 l. profectam.
— — v. 5 a f. l. accommodatae.

Alia vitia typographica levioris momenti, veluti perperam alicubi excusum est *Zonarem, ullulatu*, si forsan reperiantur, lector benigne corrigat.